ter in terra constituit, ut haberet stabilem in ea atque inter homines sedem. Certe potius de hominibus cum labore terrae generantis arandi ac fodiendi labore contendentibus, quam de terra secum ipsa contendente cogitem. Goettlingio versus 18 et 19 postea additos censenti, non quidem hoc cum Hermanno obiicias, quod sic de mala Contentione dicantur, quae non nisi de bona dici possunt (nam ἥτε vel expunctis versibus 18, 19 cum τὴν δ' ἑτέρην προτέρην in v. 17. apte cohaeret) sed potius ingeras, manifestum in hoc toto carmine apparere poëtae consilium omnia ad Iovem supremum rerum humanarum arbitrum referendi, cui consilio utique optime congruunt hi versus.

vv. 21—24. citat Stobaeus XXIX. p. 198. vv. 21. 22. Galenus Therap. I. (Tom. IV. p. 54. Ed. Bas.). Versuum autem 21—24 nexum hunc constituit Guyetus καὶ γάρ τις χατίζων ἔργοιο ἰδὼν εἰς ἕτερον πλούσιον, ὅς σπεύδει μὲν ἀρόμμεναι ἠδὲ φυτεύειν (τοῦτον ζηλοῖ) καὶ γείτων ζηλοῖ γείτονα σπεύδοντα εἰς ἄφενον· sed μὲν post σπεύδει sic otiosum est: at respondent sibi invicem σπεύδει μὲν — ζηλοῖ δε. Itaque, ut iam Graevius vidit, ὅς v. 22. exponendum οὗτος, quo sensu positum etiam apud Homerum in locis a Goettlingio citatis Od. A. 286. P. 172.

vv. 23—26. respicit Plutarchus De capienda ex inimicis utilitate c. 19. T. II. p. 92. A. non sine poëtae mentione. Posteriora versûs, ut Hesiodi, citant Ammonius v. ζῆλος et Thom. Mag. v. ζηλῶ, sine poëtae nomine Etym. M. p. 411. 21. Eustath. ad Od. p. 1527. 36. Sed vide hunc etiam ad Il. p. 388. 33.

vs. 23. Οἶκόν τ' εὖ θέσθαι] Ammonius (in v.) Οἶκος λέγεται ἡ πᾶσα οὐσία. Conf. Valcken. ad Herod. VII. 224.

vv. 25. 26. Twestenio interpolatoris esse videntur. Goettlingius eos, quamquam ab antiquo poëta profectos, tamen post adiectos censet, ceterum contineri his proverbium cum reliquis non coniungendum. Immo, si modo cum Hermanno l. c. ἀγαθὴ δ' Ἔρις ἥδε βρότοισιν ut in parenthesi dicta accipiantur, optime cohaerent ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων Εἰς ἄφενον σπ. καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει κ. τ. λ.

Versum 25 cum principio sequentis, ut Hesiodi, citat Plato in Lyside p. 215. C., solum Plutarchus de Tranq. animi T. II. p. 473. A. Dio Chrysost. Or. LXXVII.; non addito poëtae nomine Philostratus de Vit. Soph. p. 544. versus eius principium Aristot. Rhetor. II. IV. 12. Polit. V. 10.; versum 26 Plutarchus Conv. Quaest. I. II. 6. p. 618. F. Schol. Lenting. ad Eurip. Androm. v. 471. Conf. quae de Prisciano dixi in annotatione contextui subiecta. Ceterum in Krehlii editione T. II. p. 169. plenior exstat locus inde ab ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βρότοισι usque ad ὦ Πέρση. κοτέει (v. 25.) et φθονέει (v. 26.) ad bonam Eridem pertinent, secus ac voluerunt citatorum auctorum veterum plerique, quibuscum faciunt Scholiastae ad h. l., quosque sequitur Goettlingius. Scilicet bona est haec Eris, quatenus hominum industriam excitat. Glossa Vatic. κατάχρησις εἰς τὸ κοτέει καὶ φθονέει.

vs. 26. καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ] Mirum ad nostros sensus accidit, coniunctim sic πτωχοὺς et ἀοιδοὺς memorari. Sed horum Epicorum aevo par ferme erat πτωχῶν et ἀοιδῶν conditio in regum ac divitum ambiendo favorem ac liberalitatem.

vs. 28. citat Galenus T. IV. p. 35. Ed. Basil. et huc pertinet κακόχαρτος Ἔρις apud Etym. M. p. 484. 48., qui cum Scholiastis ad h. l. ambiguum esse notat, sitne ἡ ἐπὶ

κακοῖς χαίρουσα, au *ἢ χαίρουσιν οἱ κακοί*. Mihi dubium non videtur, quin prior hîc significatio obtineat, qua dicitur etiam Ἔρις κακομήχανος apud Homerum Il. I. 257.

vs. 30 cum mentione Hesiodi citant Suidas v. *ὡρακίασας* usque ad *νεικέων*, Schol. ad Sophocl. Trach. 56. usque ad *πέλεται*, integrum, sed sine poëtae mentione, Harpocration ad v. *θεωροί*, quibus omnibus pariter ac Scholiastis ad h. l. est *ὤρη ἡ Φροντίς*. Sed conf. Lehrsium in Quaest. Epp. p. 223. et a nobis dicta in annotatione contextui subiecta.

vs. 33. Eustathius ad Il. p. 88. *οὐ δεῖ τοῖς κρατοῦσι πάθεσιν αὐστηρῶς ἀντιβαίνειν· ἀλλὰ μετρίως εἴκειν· καθὰ καὶ Ἡσίοδος τῷ ἀδελφῷ παραχωρεῖ π λ ο ύ τ ο υ κ ο ρ ε σ ά μ ε ν ο ν, τότε δὴ ν ε ί κ ε α ὀ φ έ λ λ ε ι ν.*

vv. 34 seqq. Paternam hereditatem Hesiodus et frater inter se diviserant. Perses autem, quae ex illa divisione acceperat, brevi per ignaviam ac luxuriam dissipavit. Itaque ad inopiam redactus eius remedium quaesivit litem intentando fratri, questusque est apud *βασιλῆας* s. iudices, quod frater plus aequo de paterna hereditate accepisset. Iudices *δωροφάγοι* *donis corrupti* Hesiodum iusserunt illud, quod plus accepisse diceretur, fratri reddere. Ita Perses praeter illa, quae prius acceperat, *ἄλλα πολλὰ ἁρπάζων ἐφόρει* (vv. 37—39.). Iam dicit Hesiodus *σοὶ δ' οὐκέτι δεύτερον ἔσται Ὧδ' ἔρδειν· ἀλλ' αὖθι διακρινώμεθα νεῖκος Ἰθείῃσι δίκαις κ. τ. λ.* i. e. ut bene Proclus explicat, *ἀλλὰ νῦν μεταξὺ ἡμῶν ἀλλήλους διαλυσώμεθα ταῖς δικαίως κρινομέναις δίκαις*, ut hoc voluerit Hesiodus, *iudices porro istos missos faciamus, rem illico inter nos secundum aequitatem dirimamus*. Αὖθι (v. 35.) non est *in posterum*, *rursus*, *denuo*, ut recentiorum interpretum plerique reddiderunt, sed, ut

recte Veteres, αὐτόθι, ἐν τῷ παρόντι, νῦν. Conf. Hermannus Opusc. VI. p. 145.

vs. 38. βασιλῆας] Phavorinus in v. βασιλῆας λέγει Ἡσίοδος τοὺς δικαστὰς καὶ τοὺς ἄρχοντας· οὕτω γὰρ αὐτοὺς ἔλεγον οἱ παλαιοὶ, ὡς Ὅμηρος (Od. A. 394.) ἀλλ' ἤτοι βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι. Conf. Eustath. ad Il. p. 1158. 35. ad Od. p. 1425. 48. Scilicet antiquitus iurisdictio pars erat regii muneris. Cum autem in Graeciae civitatibus munus illud, quod olim fuerat unius, postea ad plures transiisset et sic aristocratica imperii forma invaluisset pro monarchica, in multis pro uno plures dicti sunt βασιλεῖς, ut docet etiam Phaeacum exemplum apud Homerum. Vid. Od. H. 41. 47. 390. ibique Scholia.

vs. 39. οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι i. e. *quos lubet sic ius dicere:* quod scilicet dona sic lucrantur.

vv. 40 seq. νήπιοι, οὐδὲ ἴσασιν κ. τ. λ.] Praestant modica immodicis, iusta iniustis. Ignorant hoc stulti isti reges, neque intelligunt se, dum donis inhiantes iisque corrupti ius pervertunt, ita Iovis iram ad perniciem suam sibi contrahere. Conf. infra v. 248 seq. 267 seq. Praestare autem modica et iusta immodicis et iniustis significavit poëta per duo proverbialiter dicta. Versum 40 cum sequente citat praeter Stobaeum X. 127. A. Gellius XVIII. 2. ubi inter alias quaestiones, aliquo tempore ab ipso et aliis apud Musonium Athenis in Saturnalibus agitatas, hanc fuisse dicit, asphodelum cuiusmodi herba sit et quid item Hesiodus se dicere sentiat, cum dimidium plus esse toto dicit. Solum v. 40 citat Plutarchus de Aud. poët. p. 36. A. conferens cum v. 266. et congruum dicens Platonis δόγμασι περὶ τοῦ τὸ ἀδικεῖν κάκιον εἶναι τοῦ ἀδικεῖσθαι·

citant etiam Schol. Sophocl. ad Oed. Colon. v. 1211., qui ad ἀνθρώπων ἀπληστίαν refert, et Suidas v. ἡμίσεια et v. νήπιος, priore loco addens παιδεύσεως ταῦτα ἔχεται καὶ ψυχὴν καθαίρει καὶ βίον κοσμεῖ, καὶ σωφροσύνην ἐπιτίθησι καὶ δικαιοσύνην νομοθετεῖ· posteriore autem ἐσθ', ὅτε γὰρ πλειόνων ἐπιθυμῶν τις καὶ, ἃ ἔχει, ἀποβάλλει. Posteriora versûs habet Polybius VI. 59. 3. dicens πρᾶγμα esse Φρονιμοῦ καὶ νουνεχοῦς ἀνδρὸς τὸ γνῶναι κατὰ τὸν Ἡσίοδον ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς: citat etiam Suidas in v. exponens τούτεστι· τὸ ὀλίγον μετὰ δικαιοσύνης τοῦ πολλοῦ μετὰ ἀδικίας πλείονα ἔχει τὴν ὄνησιν, quibus congruunt ea, quae habet Schol. Ven. ad Il. A. 160. Eodem respiciens Plato de Republ. V. p. 466. C. εἰ οὕτως ὁ Φύλαξ ἐπιχειρήσει εὐδαίμων γίγνεσθαι, ὥστε μήδε Φύλαξ εἶναι μήδ' ἀρκέσαι αὐτῷ βίος οὕτω μέτριος καὶ βέβαιος, καὶ, ὡς ἡμεῖς Φαμὲν, ἄριστος, ἀλλ' ἀνοητός τε καὶ μειρακιώδης δόξα, ἐμπεσοῦσα εὐδαιμονίας πέρι ὁρμήσει αὐτὸν διὰ δύναμιν ἐπὶ τὸ ἅπαντα ἐν τῇ πόλει οἰκειοῦσθαι, γνώσεται τὸν Ἡσίοδον, ὅτι τῷ ὄντι ἦν σοφὸς, λέγων πλέον εἶναι πως ἥμισυ παντός et de Legg. III. p. 690. D. ἀνάσκεψαι πῶς τε καὶ τὶ παρὰ ταῦτα ἁμαρτόντες οἱ περὶ τὸ Ἄργος καὶ Μεσσήνην βασιλεῖς αὑτοὺς ἅμα καὶ τὴν τῶν Ἑλλήνων δύναμιν, οὖσαν θαυμαστὴν ἐν τῷ τότε χρόνῳ, διέΦθειραν· ἆρ' οὐκ ἀγνοήσαντες τὸν Ἡσίοδον ὀρθότατα λέγοντα, ὡς τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πόλλακις ἐστὶ πλέον, ὁπόταν ᾖ τὸ μὲν ὅλον λαμβάνειν ζημιῶδες, τὸ δ' ἥμισυ μέτριον, τότε τὸ μέτριον τοῦ ἀμέτρου πλέον ἡγησάμενον, ἄμεινον ὂν χείρονος; Agit de hoc Hesiodi dicto Tzetzes etiam Chil. VII. 232 seqq.

vs. 41 citat Galenus T. IV. p. 335., item Plutarchus in Sept. Sap. Conv. p. 157. E. ubi Periander censet poëtam ἐπαινέτην ὄντα Φειδοῦς αἰεὶ καὶ πρὸς τὰ λιτότατα τῶν ὄψων παρακαλεῖν ἡμᾶς et p. 940. C. de Facie in Orbe Lunae

p. 940. C., ubi tecte significare ait Hesiodum, esse hominem parvo contentum; etiam Suidas v. *ἀσφόδελος* et v. *θυμὸς*, quo posteriore loco dicit esse *ἀντὶ τοῦ· δίκαιοι τὰ εὐτελῆ θέλοντες ἐσθίειν διὰ τὸ μὴ ἐθέλειν ἀδικεῖν*, temere addens: *ἅμα δέ τὸ τραχὺ τῆς γῆς διαβάλλει.* Pertinet dictum simpliciter ad commendationem *βίου μετρίου*, qui contentus oleribus turpi lucro non indigeat. Andocides Orat. contra Alcibiadem *οἱ μεγάλα δαπανώμενοι, πολλῶν δεόμενοι, αἰσχροκερδέστατοί εἰσίν.* Simplicissimus autem victus ex oleribus. Conf. Horatius Carm. I. XXXI. 15 seq. ubi item malvae memorantur, ut saepe alias, inter olera. Rarior mentio asphodeli, quem tamen multa ad cibum utilia afferre Theophrastus tradit H. Pl. VII. 12. *καὶ γὰρ ὁ ἀνθέρικος ἐδώδιμος σταθευόμενος καὶ τὸ σπέρμα φρυγόμενον· παντῶν δὲ μάλιστα ἡ ῥίζα κοπτομένη μετὰ συκοῦ, καὶ πλείστην ὄνησιν ἔχει καθ' Ἡσίοδον*, quae Graeca pene vertit Plinius H. N. XXI. c. 17. s. 68.

Suidas in v. *ὄνειαρ παρ' Ἡσιόδῳ ἡ ὠφέλεια.*

vv. 42 seqq. Post digressionem de iniuria sibi illata iniustisque non sine ipsorum damno iudicibus, redit poëta illuc, unde exortus erat, eoque pertinet *γάρ* v. 42. Foro et litibus vacare nequit, nisi, cui paratus sit in annum victus, ad quem parandum opus est assiduo labore. Nam Dii victum occuluerunt hominibus. Alioquin (in *γὰρ* v. 43. latet *εἰ μὴ ἔκρυψαν*) posses unius diei labore victum tibi comparare in totum annum, desidi deinde tibi transigendum, ut neque navigationis neque agriculturae exercendae porro tibi cura esset habenda, sed brevissimo posses vel huius vel illius exercitio defungi, citoque ita gubernaculum in foco suspendere, boum et mulorum opera missa facere. Recte monet Goettlingius, habuisse haec in animo Virgilium G. I. 121. *pater ipse colendi Haud facilem esse viam voluit.*

vv. 45 seq. citat Plutarchus de Cupid. Divit. p. 527. C. sine poëtae mentione; sed versum 45, ut Hesiodi, relatâ etiam versûs 45 sententia, in Sept. Sap. Conv. p. 157. C.; solum versum 45, ut Hesiodeum, Schol. Aristoph. ad Aves v. 712. ad Acharn. v. 278. Respicit eundem Eustath. ad Il. p. 540. med. ad Od. p. 1428, 62. apud quem ad Il. p. 750, 40. memoratur etiam παροιμία ὑπὲρ καπνοῦ τὸ πηδάλιον ἐπὶ τῶν ἀργούντων καὶ καταμελούντων τεχνῆς. Suspendebatur autem super fumum in foco gubernaculum, ne corrumperetur. Vid. infra 627. Aristoph. Av. v. 712. ibique Scholia, collato etiam Virgilio G. I. 175.

Offendit Goettlingius ad defectum copulae in v. 45. Statuit Hermannus Opusc. T. VI. p. 223. eius vim inesse in αἶψα. Equidem copulam hîc non adeo desiderari arbitror. Etenim v. 45 seq. non tam novum quid adiicitur ad illud, quod poëta v. 43. dixerat, quam per partes explicatur generalius ibi dictum ἐργάσσαιο, memoratis duabus victum parandi viis, de quarum utraque suo loco poëta acturus erat in sequentibus.

vs. 46. ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιντο κ. ἡμ. ταλ. *Opera boum et mulorum interciderent s. cessarent.* Priora versûs citat Eustath. ad Od. (K. 98.) p. 1650, 7. Sunt autem hîc ἔργα βοῶν non, ut Od. d. l. agri culti, sed boum opera, labores.

Veteres tam mulis, quam bubus, utebantur ad arandum. Vid. Hom. Il. K. 351 seqq. Ceterum frequentius eos plaustris iungebant convehendis quibuscunque oneribus, ut docent passim apud Homerum exempla.

vs. 47 seqq. ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος Φρ. ᾗσιν Ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς κ. τ. λ. Pro rudioris aevi sensu tribuitur hîc irae Iovis, quod, exculta magis aetate,

Virgil. G. I. 121. factum ab Iove dicit, ut curis corda hominum acueret.

vv. 53—82., ut Hesiodea, citat Origenes contra Celsum IV. 38. p. 157. Ed. Spenceri.

vs. 57 seq. ut Ἡσιόδου Ἔργων citat Stobaeus LXXI. p. 434. sine poëtae mentione Achilles Tatius I. 8; ut Hesiodi, v. 57 cum τέρπωνται Clem. Alex. Strom. VI. p. 742.

vs. 58. ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες] Apollon. de Pronom. p. 143. B. Ἡσίοδος μέντοι ἐπιμεμπτός ἐστιν εἰπών· ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες, ἐν ᾧ ἑνικῷ ἀντὶ πληθυντικοῦ ἐχρήσατο — δέον σφόν, quem Apollonii locum respicit Proclus ad h. l. ipse quoque ἑὸν pro σφέτερον dictum improbans. Contra Tzetzae (scilicet, ut Proclo obloquatur) τὸ ἑὸν hîc καλλίστως κεῖται λίαν. Dicendum potius, Hesiodi aevo non tam accurate constitutum fuisse discrimen inter ἑὸν et σφέτερον, ut hoc de pluribus, illud non nisi de uno diceretur. Apollonio teste, Callimachus item ἑοῖς, ἑὸν pro σφοῖς, σφὸν usurpavit, archaismi, ut videtur, studio. Ob sententiam citantur haec Hesiodea ab Schol. ad Aristoph. Lysistr. 1037.

vs. 59. ad ἐκ δ' ἐγέλασσε respicit Eustath. ad Il. p. 656, 34.

vv. 60—62. citat Schol. Pindari ad Nem. VI. pr. sine poëtae mentione; vv. 60. 61. ut Hesiodi, Clem. Alex. Strom. V. p. 708.; versûs 61. priora ob ὕδει Choerobosc. apud Bekker. Anecd. p. 1209. Pertinent etiam huc, quae Plotinus scripsit Ennead. IV. L. III. c. 14. οἷον εἰκὸς καὶ τὸν μῦθον αἰνίττεσθαι, ὡς, πλάσαντος τοῦ Προμηθέως τὴν γυναῖκα,

ἐπεκόσμησαν αὐτὴν καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ γαῖαν ὕδατι φύρειν καὶ ἀνθρώπου ἐνθεῖναι φωνὴν, θεαῖς δὲ ὁμοίαν τὸ εἶδος καὶ Ἀφροδίτην τι δοῦναι καὶ Χάριτας καὶ ἄλλον ἄλλο δῶρον καὶ ὀνόμασαι ἐκ τοῦ δώρου καὶ πάντων τῶν δεδοκότων· ubi tamen memoria lapsus Prometheum memorat pro Vulcano, ad cuius in hac re secundum Hesiodum operam respicit Eustath. ad Il. p. 1151, 30.

vs. 62. σθένος *vigorem, vim vitalem* — ἀθ. τε θεαῖς εἰς ὦπα ἐΐσκειν *similem aspectu facere Deabus*. Apud Hom. Il. Γ. 409. aliisque locis ἐΐσκω magis est *similem iudico*.

vs. 63. ἔργα διδασκῆσαι] Eustath. ad Od. p. 1715, 53. καὶ Ἡσίοδος οἶδε διδασκῶ, διδασκήσω περισπωμένως.

vs. 64. πόθον ἀργάλεον] Catullus LXVII. 18. *non est Dea nescia nostri, Quae dulcem curis miscet amaritiem*, ubi conf. Vulpius.

Ibid. γυιοκόρους μελεδῶνας] Etym. M. 576. 23. μελεδῶναι αἱ τὰ μέλη ἔδουσαι φροντίδες· ὅθεν Ἡσίοδος γυιοκόρους αὐτὰς λέγει, τὰς ἕως κόρου τὰ γυῖα ἀναλυούσας. Habet postrema haec etiam Proclus, tum insuper alias non minus ridiculas explicationes, quibus tamen unam veriorem adiicit, quam et Tzetzes profert, τὰς κατεσθιούσας τὰ μέλη τοῖς χρωμένοις δηλονότι. Dictum haud dubie γυιοκόρος παρὰ τὸ κείρειν τὰ γυῖα, ut iam Guyetus vidit. Sed verbum accipiendum eo sensu, quo proci dicuntur Vlyssis bona κείρειν Od. A. 378. B. 143. Itaque recte vertas *artus depascentes curas* (conf. Virg. III. G. 458.) et γυιοκόρους idem valebit ac γυιοβόρους, quod quibusdam h. l. placuit. Conf. annotatio contextui subiecta.

Hesiodus, cum hîc magis etiam, quam in Theogonia, de-

clarare vellet, quantum mali in humanum genus a formata muliere manasset, hinc praeter memorata ibi quoque collata in Pandoram immortalium dona, vel maxime etiam memoranda sibi censuit, quae Venus et Mercurius in eam contulerant, omnia ad hominum perniciem facientia.

vs. 67. ut Hesiodi Ἔργων cum vv. 77. 78. citat Stobaeus LXXI. p. 434.

κύνεόν τε νόον *impudentiam*, ut est passim κύνεος et κύων *impudens* apud Homerum. Varia mulierum genera describens Simonides (apud Stobaeum l. c.) unum memorat ex cane ortum v. 12 seqq.

ἐπίκλοπον ἦθος *fallaciam*, ut est μῆτις ἐπίκλοπος *dolosum consilium* apud Apollon. Rhod. III. 780. Memorat poëta infra v. 78. coniunctim ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους. Non temere autem hîc dona illa tribuisse Mercurius dicitur, qui κλεψίφρων ipse appellatur H. in Merc. 413.

vv. 70—76. Locum additis versibus foede interpolatum censuit Heynius ad Il. Z. 419. Versus 71. 76 tanquam repetitos ex Theogonia expellendos censuit Ruhnkenius Ep. Cr. I. p. 82., omisit Brunckius, uncinis inclusit Dindorfius: sed potest poëta bis iisdem versibus uti voluisse. Magis offendat, quod iis, quae v. 76. traduntur, vix esse locus videatur post v. 72. Itaque versum 72 solum eiiciendum post Gaisford. ad Th. 570. Hermannus censuit l. c. p. 224. Goettlingium male habet de Venere silentium, cuius ante iniecta mentio erat v. 62. Ergo dicendum ait, aut nunc pro Venere Gratias commemorasse poëtam v. 73., aut v. 76. pro Παλλὰς Ἀθήνη scribendum esse δῖ' Ἀφροδίτη. Quid, si dicas, poëtam in vv. 70—76. neque voluisse omnia prius dicta repetere et voluisse prius dictis quaedam addere, ut collato utroque loco appareret, quinam Dii quaenam in

Pandoram dona contulissent? Certe, ut de Venere non repetitur illud, quod supra dictum fuerat, ita nec de Pallade, quod praecesserat; sed sunt Palladis munera in v. 72. et 76. diversa ab iniuncto ei munere v. 64. Quod autem in memoranda Palladis ad ornandam Pandoram opera multus hîc poëta, pariter atque in Theogonia, fuit, in eo sane sibi constitit. Ceterum hîc insuper ornatricem curam commemoravit Charitum, Suadae, Horarum. Ornatum autem, quem et hae Deae (vv. 73—75.) et Pallas ipsa (v. 72.) Pandorae corpori attulerant, v. 76. dicitur Pallas ei ἐφήρμοσαι *adaptasse*, ita ut eam quam maxime deceret, fecitque ita Pallas, quod in puellarum ornatu matres solent, post curatum illum ab ornatricibus ancillis ipsae postremam ei manum adiicientes.

vs. 73. *Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια* Πειθώ] bene Moschopulus *αἱ μεν, ἵνα χαριεστάτα εἴη, ἥδ', ἵνα πείθῃ*: scilicet ipso ornatu lenocinium faciente, ut in Veneris ὅρμῳ fuit lenocinium. Πειθὼ, quae Tethyos et Oceani filia fuit secundum Hesiodum, Venere prognatam finxit Sappho, teste Proclo ad h. l. De Horis vide Comment. nostrum ad Th. 901 seqq. Ab Horis ornata etiam Venus inducitur altero in hanc H. Hom. v. 5.

vs. 78 citat Plutarch. adv. Stoicos de Commun. notit. p. 1065. B. et, qui mystice haec interpretatur, Irenaeus contra haeres. II. 21. Conf. idem c. 14. §. 5.

vs. 79 seq. Iam supra dictum fuit fictae ab se mulieri Vulcanum indidisse ἀνθρώπου αὐδήν. Movit hoc Graevium, ut h. l. ἐν δ' ἄρα φωνὴν Θῆκε θεῶν κήρυξ interpretaretur *et nomen ei imposuit Deorum praeco*. Sed vix est, ut Graeca verba eam interpretationem recipiant. Itaque spurium

v. 79 censuit Heynius ad Il. Σ. 419. Quod si diversas Vulcano et Mercurio attributas partes cogitemus, non erit, ut de significatione verborum αὐδὴν et φωνὴν multum ambigamus. Vulcanus opifex Pandorae tribuit τὰ τῆς φωνῆς ὄργανα. Mercurius Deorum praeco, idemque eloquentiae praeses φωνὴν *eloquium* ei tribuit, disertam eam fecit. Sic est φθέγμα apud Sophocl. Antig. 354. quod Schol. exponit ῥητορικὴν. Diversum quid ab his in superioribus etiam αἱμύλιοι λόγοι significant. Nam et ratiocinium complectuntur, ut declarant addita ἐν στήθεσσι et ἐπίκλοπον ἦθος.

vv. 83—89. Prometheus, ut, dictorum Iovis (v. 57 seq.) memor, apud se constituerat, nullum ab Iove donum accipere, ita cautum voluit, ne forte absente ipso missum ab Iove donum frater acciperet. Itaque Epimetheum ea de re monitis instruxit, quibus tamen ille non paruit, pulcritudine ac lenociniis Pandorae captus. Recepta ab Epimetheo Pandora traditur etiam Th. 513.; factum autem id (Th. 586.) cum illam, in Olympo per certos consilii participes Deos fictam ornatamque, produxisset inde in locum, ubi tum forte alii Dii conventum cum hominibus habebant. Statuisse autem colligas poëtam, in eo conventu praesentem, fortasse adeo praesidem, fuisse Epimetheum, qui scilicet tum fratris vice hominibus prospiceret. Conf. quae diximus in Comment. ad Th. 585 seqq. Deducente igitur Mercurio, ut hîc traditur v. 84 seq., sive in ipso illo conventu, sive statim post eum, missa est ad Epimetheum Pandora. Memorat hunc de Prometheo et Epimetheo mythum Hesiodi Tzetzes Chil. VI. 534 seqq. qui de versibus 86 seq. etiam agit Chil. VII. 338 seqq.

vs. 86. μήποτε δῶρον cum seq. versu citat Plutarchus de Aud. poëtis p. 23. E. mire explicans de donis fortunae.

vv. 90—105. Difficiliorem hominum conditionem, praesertim quod attinet ad quaerendum absconditum a Diis victum (supra v. 42.), reddunt varii generis mala, quibus plena est terra, plenum mare (v. 102.); inprimis morbi (v. 92. 102 seqq.). His autem omnibus malis, quorum olim expertes erant homines (v. 90 seqq.), grassandi in illos occasionem dedit prima mulier Pandora aperto dolio, quo antea mala illa clausa continebantur (v. 94 seqq.).

vs. 91. *νόσφιν ἄτερ κακῶν* ob pleonasmum citat ex h. v. Eustath. ad Od. p. 1817, 10.

vv. 94—104, excepto v. 99, citat, ut Hesiodea, Plutarch. Consol. ad Apollon. p. 105. E. Versum 94 seq. respicit Eustath. ad Il. p. 1363, 20 seqq. item Porphyrius de Antro Nymph. c. 30. qui duo apud Homerum Il. Ω. 527 seq. Iovis dolia, bonorum unum, malorum alterum, apud Hesiodum significari putat uno, prius quidem Homericum illud clauso, alterum autem aperto. Equidem mythum de dolio vel doliis, bona vel mala continentibus, utroque poëta antiquiorem et horum aetate Epicorum vulgo notum fuisse colligo, tum quod eius apud utrumque poëtam mentio quamvis varie exstat, tum quod nuda est hîc mentio *πίθου* (v. 94.), tanquam rei omnibus notae. Ceterum ad mythi, ut ab Hesiodo traditur, intellectum confert Proclus, e veteri quadam traditione referens, dolium, in quo mala inclusa continebantur, acceptum ab Satyris Prometheum in Epimethei domicilio collocasse. Voluit igitur, ut videtur, Prometheus, clausum ibi asservari dolium, ut sic liberi essent homines a malis, quemadmodum Aeolus voluit clausum ab Vlysse asservari utrem, quo inclusi venti erant, ne soluti illum infestarent. Recepta autem ab Epimetheo mulier, quo praedita erat ab Diis ingenio, clam marito dolium

aperuit, in eo boni quid latere suspicata, quo ad usum vel delicias ipsa frueretur: sed aperto dolio malorum examen evolavit, quo territa illa dolium iniecto operculo reclusit, in quo tamen nihil tum remansit praeter Spem.

μέγα πῶμα in v. 94., ut commode animadvertit Buttmannus in Mythologo IV. p. 59. indicat, dolium eius fuisse magnitudinis et capacitatis, ut illud Pandora ab Olympo secum afferre non potuerit; itaque agi de dolio pridem apud Epimetheum reposito.

vv. 96—98, ut Hesiodi, citat Stobaeus CIX. p. 580. Ad v. 96. respiciens Eustath. ad Il. p. 919, 51. ἡ μέν τοι παρὰ τῷ Ἡσιόδῳ ἐλπὶς ἄλλως δοκεῖ ἔχειν παρὰ τὸ Ὁμηρικὸν, (Il. N. 41.) εἴπερ κακῶν καραδοκίαν ἐκείνη δηλοῖ. Ad timorem rerum futurarum retulit etiam Proclus, quo teste Aristarchus dixerat, bonorum spem evolasse, malorum in dolio remansisse, magis ex ipsius, ni fallor, quam poëtae mente. Mihi dicendum potius videtur, Spem in dolio fuisse, ut natura sua malorum comitem. Scilicet spei locus non est apud eos, qui perpetua felicitate utuntur, quosque ne formido quidem mali tangere unquam potest; quales antiquitas sibi informavit Deos, aureique et argentei generis homines: sed apud eos, qui mala experiuntur vel experiri possunt, habitat semper spes, quippe quae secundum mythum clauso dolio in potestate hominum retenta sit, sive bonorum illa quamquam saepe fallax, qualem poëta memorat infra v. 500. (τυφλὰς ἐλπίδας malorum solatium ab se apud homines collocatas dicit Prometheus apud Aeschyl. Prom. Vinct. v. 298.), sive futurorum malorum timor. Qui Hesiodea ob oculos habuit, Babrius Fab. 58. ceterum fabulam sic invertit, ut, deposito ab Iove apud hominem bonorum dolio, factum huius incontinentiâ diceret, ut aperto dolio bona omnia rursus in coelum avolarent, sola post

iniectum operculum remanente Spe. Iam Theognis etiam v. 1135. Bekk. 35. Welck.

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν·
Ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

Pandorae dolium, unde bona evolaverint, memorat Macedonius Anth. Pal. X. 71.

vs. 96. *ἐν ἀῤῥήκτοισι δόμοισιν*) Dolio inclusis erat dolium pro domicilio. Similiter apud Euripid. in Alcest. 151. dicitur ἐκ δ' ἑλοῦσα κεδρίνων δόμων Ἐσθῆτα, quod erat vesti pro domo cedrina, in qua servabatur, arca. Sed magis etiam h. l. aptum δόμοισιν, cum sit hîc Hesiodo Spes persona. Convenit mox θύραζε. Epitheton ἀῤῥήκτοισι vim habet ad declarandum firmiter ibi contentam Spem.

vs. 97. *πίθου ὑπὸ χείλεσιν*] Graecis χεῖλος, Latinis *labrum* dicitur extrema ora cuiusque rei: κυλισκίου χεῖλος Aristoph. Acharn. 458. *doliorum labra* Cato de R. R. 107.

Versum 99 quod ignorasse videntur Plutarchus, Origenes, Proclus, movere nos potest, ut serius invectum credamus. Ceterum in re versu tradita nihil equidem video, quod eum suspectum merito faciat. Vt Spes in Epimethei sive hominum potestate relinqueretur, omnino convenire potuit Iovis consilio, non tam infesti in humanum genus, ut non multis malis quaedam inmixta bona esse vellet, aut Spem iis invideret, in malis oblectamentum et solatium.

vs. 100 et seq., ut Hesiodi, citat Servius ad Ecl. VI. 42.

vs. 101—103, ut Ἡσιόδου Ἔργων citat Stobaeus XCVI. p. 531.; versum 101 Tzetzes Chil. IX. 374. priora eiusdem

versûs ut Hesiodea, Eustath. ad Il. p. 209. sub finem. Memor Hesiodeorum h. l. Horatius Carm. I. III. 29. *post ignem aetherea domo Subductum macies et nova febrium Terris incubuit cohors.*

vs. 103. Ad φοιτῶσι in hoc versu respicit Eustath. p. 585, 14., notans φοιτᾷν, ut apud Homerum (Il. E. 595.), dici pro ὁρμᾷν.

vs. 104, Proclo notante, nonnullis Veterum Criticorum spurius est habitus, quod morbos quasi corpore praeditos inducit: sed, ut ipse animadvertit, apud Homerum similiter inducuntur Ἔρις et Δεῖμος et sunt huius generis permulta alia apud Hesiodum.

vs. 105. οὕτως οὔτι πη ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι. Similiter in mytho de Prometheo Th. 614. ὡς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον οὐδὲ παρελθεῖν. Sed hoc loco additum inservit poëtae consilio, quod passim in hoc carmine apparet, fratrem aliosque a malis artibus deterrendi, monitos, nihil earum rerum Iovem fallere.

vv. 106—201. εἰ δ' ἐθέλεις ἕτερόν τοι ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω κ. τ. λ. Hoc ἑτέρῳ λόγῳ fratri porro ostendit poëta, quantum praesens hominum vita differat ab illa primaevorum hominum, quibus omni malo vacantibus terra citra ipsorum laborem victum affatim suppeditabat; tum etiam, in variis, quae deinceps fuerunt, hominum generibus pro cuiusque generis ingenio ac moribus diversam fuisse conditionem hominum tam post mortem, quam durante ipsorum vita; generis autem quinti, cui interessent Hesiodus ac frater, pro improbitate eius laboriosam ac miseram esse iam nunc conditionem, futurumque ut, in peius sem-

per ruente hoc genere, Iupiter denique, iniustitiam eius atque impietatem pertaesus, prorsus id de medio tollat. Cum igitur haec quoque respondeant consilio poëtae fratrem admonendi de necessitate, quae nunc sit, subeundi ad parandum victum laboris, deque vitanda iniustitia, quam toleraturus Iupiter non sit, haud sane video, cur hîc cum Goettlingio carmen nos habere absolutum, a rhapsodis adiectum, putemus.

ἐκκορυφώσω est *a principio et velut a capite incipiens exponam*. ἕτερόν τοι λόγον ἐκκορυφώσω citat hinc Zonaras p. 670. Conferantur etiam, huc respicientes, Etym. M. p. 322. 28. Eustath. ad Od. p. 1850, 28. Κορυφοῦται proprio sensu exstat apud Hom. Il. Δ. 460.

Versum 108. ὡς ὁμόθεν γεγάασι κ. τ. λ. cum antecedentibus coniungendum censuit Goettlingius, sive suum ipse iudicium, sive Proclum secutus, qui nexum et sensum hunc constituit: *animo reconde mea ad virtutem monita*, *q u i a cognati hominibus sunt Dii, ita ut eos huius originis suae memores virtutem colere oporteat.* Sed postrema haec longius arcessita sunt, et ὡς pro ὅτι *quia* vereor, ut sit Hesiodeum. Cum sequentibus versum iunxere Tzetzes et Moschopulus, ac secundum hos recentiores tum Interpretes tum Editores. Sed ὁμόθεν, quod Scholiastae probabilius ὁμοῦ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας καὶ ὕλης, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥίζης exposuerant, recentiores fere per unum *simul*, vel *eodem tempore* interpretati sunt. At vero ὁμόθεν id non significare posse docet tum ipsius ratio vocabuli, tum citatus iam ab Lanzio versus ex Hom. H. in Ven. 135. Σοῖς τε κασιγνήτοις, οἵ τοι ὁμόθεν γεγάασιν. Conf. et citati a Goettlingio Soph. El. 153. Eurip. Iph. A. 503. Sensit illud Schmidius, ad suum *simul* addens uncinis inclusum *ex eadem origine*. Plerosque autem Interpre-

tes offendit hîc ea significatione ὁμόθεν, sequente mox v. 110. ἀθάνατοι ποίησαν, quod est *efformarunt*, non *procrearunt*. Itaque Heynius ad Pindar. Nem. VI. pr. corrigendum censuit οὐχ ὁμόθεν· Lehrsius autem Quaest. Epp. p. 230. aliunde migrasse hunc versum putat, primoque fortasse scriptum fuisse ἐξ ὁμόθεν γεγάασι· Hermannus l. c. p. 225. item loco suo mutatum versum statuit, qui fuerit post v. 160. hoc sensu (ἡμίθεοι) *ut communem habent cum Diis atque hominibus originem, ita Dii sunt et mortales homines*. Equidem nescio, an nihil hîc facile sollicitandum sit. Potuerunt enim, me iudice, dici Dii atque homines exstitisse ὁμόθεν, quamvis formati sint ab Diis homines, cum haud dubie Κρόνος ceterique huius ordinis Dii ad formandum illos usi sint iis, quibus ipsi acceptam originem ferebant, recensitis ab Hesiodo in Theogonia primis naturae elementis Coelo, Terra atque inde natis. Poëta, qua ratione in formandis hominibus usos esse Deos crediderit, haud obscure declaravit in Pandorae mytho. Qui Veterum formatos a Prometheo homines tradiderunt, item formatos de luto dixerunt, in quod redituros etiam post interitum homines statuit Homerus Il. H. 99. pro *intereatis omnes* dicens πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε, quo Schol. A. et Leid. vocant Xenophanis dictum πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα fuitque haec super hominum origine vulgo recepta apud Graecos veteres opinio, cuius, ut cognatorum mythorum, videri possit fons quaerendus in allatis ex Asia per Iapetidas Hellenes traditionibus, cum similia tradantur in Sacrorum librorum principio. Sane Pindarus etiam Nem. VI. pr., quem locum cum hoc Hesiodi loco iam et alii contulerunt, ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν ματρὸς ἀμφότεροι, e matre terra videlicet. Ceterum terrae aqua mixtae addita ab Diis crediderunt melioris ac coelestis originis multa, ut declarat ipse de Pandora mythus. Quos

autem proxime post Deos natos poëta formatos ab his statuit aurei generis homines, videtur etiam statuisse tum de meliore materia formatos, tum sublimioris ac divinae cuiusdam naturae magis participes factos. Itaque ὥς θεοὶ ἔζωον et post mortem facti sunt δαίμονες. Eos Dicaearchus apud Porphyrium de Abst. IV. 2. vocat τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν γεγονότας.

vv. 109 seqq. χρύσεον μὲν πρώτιστα κ. τ. λ. Cur de quinque, quae deinceps hominum genera fuisse ait Hesiodus, quatuor nomina a metallis habeant, nisi quaerendo indagare, certe in subiectis poëtae annotationibus explicare neglexerunt ferme inde a Melanchthone Interpretes, acquiescentes, ut videtur, in explicatione Scholiastarum, quibus χρύσεον est λαμπρὸν, καθαρὸν, τίμιον et cetera simili ratione sic accipiuntur, ut declinatio generum in peius significata per metalla fuerit, quorum vilius argentum est auro, aes argento, ferrum aere. Nec sane dubium est, quin sic acceperit etiam Ovidius in sua quatuor aetatum descriptione Metam. I. 89 seqq. Attamen minus, me iudice, exploratum certumque est, eam fuisse Hesiodi sententiam. Primum exempla desidero apud veteres Epicos positi illa translatione τοῦ χρύσεος. Vnum haberi possit χρυσέη Ἀφροδίτη, quod Apollonio in Lex. est καλὴ, ἀπὸ τῆς παρ' ἡμῖν θαυμαζομένης ὕλης. Sed haec an antiquissima notio fuerit, incertum est, multis Veterum idem id referentibus ad τὸ χρυσοφορεῖν, quemadmodum dicitur apud Theocr. XV. 101. χρυσῷ παίσδοισ' Ἀφροδίτη. Conf. Heynius ad Il. Γ. 64. Porro, neque est apud Hesiodum continua generum declinatio in peius, neque constat Ἔργων auctoris aestimatione aere vilius habitum fuisse ferrum, longe id operibus exercendis aptius metallum. Conf. infra v. 151. Denique e v. 150 seq. colligas, poëtam aereo certe generi nomen factum

inde censuisse, quod apud eos essent omnia ex aere arma, aedes, instrumenta. Quid, si χρύσεον γένος similiter dictum censuit ex eo, quod iis omnia essent aurea, ut hoc quoque vita ipsorum simile habuerit Deorum vitae: secundum autem genus argenteum dictum, quod pro minore dignitate ornatus iis esset ex hoc minoris pretii metallo? Facilius quidem id, ni fallor, admittas, quam, quod vult Sacerdos apud Lucianum Saturn. c. 8. T. III. p. 391., aurei generis homines ὁλοχρύσους et χρυσηλάτους tibi fingas, aut cum Goettlingio data hominibus a metallis nomina censeas, quod facti homines e terra, ad quam metalla pertinent. Scilicet ei non visum est quartum genus ἐκ μελιᾶν factum, qua de re dicemus infra ad v. 145.

Ceterum in harum aetatum descriptione quid primus ipse finxerit Hesiodus, quid secundum alios tradiderit, quamquam satis certo definire nunc non possumus, attamen hoc nobis pro certo habendum videtur, descripta ei duo priora hominum genera non pertinuisse ad Graeciam antiquam, cuius primi incolae, consentiente antiquitatis testimonio, quam longissime remoti fuerunt ab omni felicitate vitae: quare statuendum sit, quae de primaevorum hominum felici conditione vitae referentem videas poëtam, ea debuisse illum traditionibus in Graeciam ex Asia per Iapetidas illatis, apud quos memoria pristini statûs hominum felicioris, sicut etiam coniuncti cum illo longioris hominum vitae, retenta diutius fuerit. Num ex eodem fonte fluxerit mentio generis aerei, ad vim et horrida arma promtioris, itaque similis ei, quod describitur Genes. VI. 4. (conf. et IV. 23.) mihi dubium videtur, cum fuisse tales referantur etiam antiquissimi Graeciae populi ante heroïcam aetatem, quâ invecta in Graeciam cultioris vitae initia cum frugibus (conf. v. 146.) usuque ad agriculturam ferri; venitque adeo mihi in mentem, fieri potuisse, ut ab recepto hoc usu ferri, nec-

non ἀπὸ τοῦ σιδηροφορεῖν (vid. Thucyd. Prooem. c. 6.) genus illud, cuius pars fuit Hesiodus, iam ante eum dictum fuerit σιδήρεον, oppositum priori, χαλκέῳ dicto ob aeris usum, qui usus heroica aetate retentus adhuc in armis. Sane, quod poëta dicit infra v. 176. νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον mihi significare videtur, *nunc profecto ferreum est, sicut dicitur, genus*, ut aliunde natam appellationem transferat poëta ad notandum eius quasi ferream in tolerandis malis patientiam, quo sensu σιδήρειον ἦτορ Priami dixit Achilles apud Homerum Il. Ω. 521. namque eo respicere Hesiodum d. l., non ad iniustitiam et scelera hominum, arguunt sequentia, οὐδέ ποτ' ἦμαρ Παύσονται καμάτου καὶ ὀϊζύος, οὐδέ τι νύκτωρ.

Pressit Hesiodi vestigia Aratus in fabula de Dice v. 100 seqq., ceterum de quinque generibus Hesiodi non nisi tria memorans, aureum, argenteum, aëreum, in quo desinit, sed quod ipsi instar est ferrei. Quatuor a metallis denominata secundum Hesiodum memorat Ovidius, quartum autem Hesiodi genus heroïcum omittit, interrumpi nolens declivem in peius cursum. Sed quinque exstant apud pressius Hesiodea secutum Babrium in fabularum Prooemio pr. Memor aetatum Hesiodi fuit etiam Iuvenalis Sat. XIII. 25. seqq.

Lehrsium in Quaestt. Epicis p. 230 seqq. si audias, narratio haec de quinque hominum generibus, ut nunc est, plures habet auctores; ex pluribus recensionibus commixta est et praeterea in quinto genere ad desperationem deformata. Rationes iudicii vide apud ipsum. Mihi quidem parum idoneae videntur.

vv. 109 seq. citat Tzetzes Chil. X. 301 seq.

vs. 111 uncinis inclusit Goettlingius, ut non ab Hesiodo

profectum. »Nusquam enim, inquit, Saturnus in Diis Olympicis habetur." Scilicet haberi non potuit, ex quo deiectus ab Iove est Olympo. Agnoscit versum Diod. Sic. V. 66., ubi maxime ob Croni mentionem totum locum (vv. 111—121.) citat. Agnovit eum haud dubie etiam Lucianus loco supra cit., item Max. Tyr. XXXVI. c. 1. extr. Versûs 111, nec non versuum 113. 114. 116. memor quoque fuit Eustath. ad Od. p. 1786, 4 seqq. Conf. et Schol. Ven. ad Il. A. 222. Latini quidem omnes constanter aureum seculum sub Saturno et antiquius Iove sibi informarunt, non sane illi omnes, quod vult Goettlingius, auctorem Dicaearchum secuti. Virgilius certe G. I. 125 seqq. manifesto secutus est Hesiodum.

vs. 116. *θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι.* Elegans haec descriptio *εὐθανασίας*. Aliis ad eam describendam coloribus usus est Hom. Od. O. 408 seqq., ad quae non immemor Hesiodeorum fuit Eustathius p. 1786, 6., qui citavit eadem p. 1843, 46.

ἐσθλὰ δὲ πάντα ex hoc versu cum tribus, qui sequuntur, versibus citat Porphyrius de Abst. IV. 2., qui versus quoque 117 seq. retulit ibid. III. extr.

vv. 117 seq. *καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη*] Amplificavit haec pro ingenii sui ubertate Ovidius Met. I. 101—105. 109 seq.

vv. 118 seq. *οἱ δ' ἐθελημοὶ Ἥσυχοι ἔργ' ἐνέμοντο* bene explicat Proclus *ἐθελουσίως ἔζων καὶ κατὰ βούλησιν ἀπέλαυον τῶν γινομένων.*

Non exstat *ἐθελημὸς* apud Homerum, sed vocabulum usurpant etiam Callim. H. in Dian. 31. Apollon. Rhod. II. 658.

ἔργ' ἐνέμοντο bene Tzetzes ad τὴν συλλογὴν τῶν αὐτομάτων καρπῶν refert. Colligebant autem inde quantum et quoties vellent ac luberet ipsis. Thucyd. in Prooem. c. 2. νεμόμενοί τε τὰ αὑτῶν ἕκαστοι, ὅσον ἀποζῆν. Contulit Heyn. ad Il. Z. 138. haec Pindari: ἀπονέστερον ἐσθλοὶ νέμονται βιοτόν.

vs. 119. σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν mire Spohnius explicat *cum convivis*. Immo significantur memorata iam vs. 116. ἐσθλά bona et commoda varii generis.

vs. 120. ἀφνειοὶ μήλοισι de pomis accepit Graevius et nescio an similiter iam Ovidius, qui d. l. v. 104. *arbuteos foetus, montanaque fraga legebant Cornaque et in duris haerentia mora rubetis.* Sed non patet, Hesiodum sylvestrem prorsus sibi informasse primaevorum hominum victum. Malim equidem cum Goettlingio et aliis de pecoribus hîc cogitare. Contulit iam Lanzius haec Tibulli I. III. 45. de aurea aetate: *ultroque ferebant Obvia securis ubera lactis oves.*

Post hunc versum Spohnius addidit alios duo: ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ δὲ θόωκοι Ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνητοῖς τ' ἀνθρώποις, quos Ascraeo poëtae tribuit Origenes contra Cels. IV. 89. extr. quorumque priorem, ut Hesiodeum, citat etiam Schol. Arat. Ph. 97. cum variatione ξυνοὶ δ' αὖ θῶκοι: sed, cum eos h. l. tum Codd. omnes, tum Scholiastae ignorent, potius est, ut eos depromtos censeamus ex Catalogis, ubi locus iis fuisse potest in carmine de nuptiis Thetidos et Pelei. Conf. Catullus LXIV. 385 seqq.

vv. 121—123 citantur apud Platonem in Cratylo p. 397. E. et Theodoretum Sermone de Martyribus (T. IV. p. 602. pr.). Versum autem 122 et seq. citant Plato de Re publ. V. p. 469. A. Aristides T. II. p. 171. Iebb. T. II. p. 230. Dind.

Hermogenes in Rhet. Gr. Ald. T. I. p. 121. (Walzii T. III. p. 320.) Lactantius II. 15. Respicit eos et seqq. duo Plutarchus de Is. et Osir. p. 361. C. de Orac. Def. p. 417. B. et p. 431. E. Schol. Ven. ad Il. A. 222. Eosdem cum v. 126. sic Latine reddidit Macrobius, Comm. in Somn. Scip. I. 9. *Indigetes Divi fato summi Iovis hi sunt, Quondam homines, modo cum Superis humana tuentes, Largi ac munifici, ius regum nunc quoque nacti.* Memor horum fuit etiam Synesius de Provid. I. p. 99. C. D.

vs. 123. ἐπιχθόνιοι] quippe πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν, ut mox dicitur v. 125.

φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων] De Stoicis Diogenes Laërt. VII. 151. φασὶ δὲ εἶναι καί τινας δαίμονας, ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων, quae ita cum Hesiodeis conveniunt, ut ex hoc fonte petita videantur. Sua autem unde Hesiodus petiverit, tametsi nos latet, attamen cum aliqua veri specie coniicias, secutum in iis quoque eum allatam in Graeciam ex Oriente traditionem.

vv. 124 seq. redeunt infra v. 254 seq. quo loco non dubium est, quin, qui memorantur, ἀθάνατοι Ζηνὸς iidem sint, qui h. l. v. 122. dicuntur δαίμονες facti Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς. Mirum autem videatur, non esse commentatum h. l. ad eos versus Proclum, sed infra, cum tamen, a Plutarcho etiam h. l. lectos fuisse, arguant loci ex eo supra citati.

vs. 125 citant Etym. M. p. 437, 36 seq. et Eustath. ad Il. p. 17. extr. hic quidem cum respectu quoque eorum, quae praecedunt. Exstant priora versûs apud eundem etiam p. 379. ut, item cum Hesiodi mentione, apud Themistium

VII. p. 90. C. Schol. A. D. ad Il. A. 3. Hort. Adon. Ald. p. 184. versa.

Vt hîc ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν, sic ἠεροφοῖτος Ἐριννὺς memoratur Il. I. 567. ubi vid. Heyn. Respiciens hunc locum Plutarchus de Def. Orac. l. c. δαίμονας ἢ ψυχὰς ὄντας περιπολεῖν καθ' Ἡσίοδον dixit.

vs. 126. καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον] Non temere Proclus et Tzetzes hîc significari putant ab Hesiodo, Regum esse munera dare, non accipere, sive, eos esse debere πλουτοδότας, non δωροφάγους, in quo Plutarchum eos secutos esse arguit huius de Def. Orac. loc. cit.

vs. 127. ob formam comparativi χειρότερον citat Etym. M. p. 675, 24. Scilicet ab obsoleto χερὴς, unde supersunt casus apud Hom. Il. A. 80. Δ. 400. Od. O. 323. comparativus est χερείων, per metathesin χείρων. Hinc autem novi orti sunt comparativi χερειότερος (Il. B. 248.) et χειρότερος, quorum omnium eadem fere vis est, ita ut χειρότερος nihilo plus significet, quam χείρων.

vs. 128. ποίησαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες] iidem, ut videtur, quorum supra facta mentio v. 110 seq. non Ζεὺς, cuius mentio demum fit infra v. 137. ubi ille dicitur ἔπειτα *posteriori tempore* κρύψαι argenteum genus, quod debitos honores non reddidisset μακάρεσσι θεοῖς, i. e. ipsi, tum imperium adepto, ceterisque Cronidis. Conf. Th. 881. infra 730.

vs. 129. χρυσέῳ οὔτε φυὴν ἐναλίγκιον] minus igitur, quam illud, robustum. Cum autem sequentia (vv. 130—133.) arguant, homines huius πολὺ χειροτέρου γένους tamen vitam ultra centum annos produxisse, colligas, poëtae

opinione aurei generis homines multo longius produxisse vitam, eumque in hoc etiam secutum traditiones ex Oriente allatas.

οὔτε νόημα] itaque infra v. 133. dicuntur ἄλγε' ἔχοντες ἀφραδίαις. Simul autem ex his et seqq. intelligitur, ἀφραδίας et ὕβριν neglectumque in Deos pietatis non fuisse apud aureum genus, ad quod non attendit Lehrsius l. c. morum aurei generis mentionem ab auctore omissam notans, quod eum diversum arguat ab auctore huius de argenteo genere narrationis.

vv. 130 seq. respicit Eustath. ad Od. p. 1541, 12. uncinis inclusit Bentleius; spurios censuit etiam Heynius ad Il. N. 27. Namque hos eum cogitasse certum est, tametsi in indicandis versibus erravit. Offendit, ni fallor, eos producta postrema in ἔτεα, prima in ἀτάλλων. Sed in ἔτεα παρὰ recte potuit media in quinque brevibus produci; in ἀτάλλων autem potuisse τ pronunciando geminari, arguit forma nominis proprii Ἄτταλος.

ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς κ. τ. λ.] ad pubertatem non perveniebant ante centesimum aetatis annum, erantque ad hoc usque tempus, ut corpore, ita mente imbecilli, μέγα νήπιοι, unde interim in suae quisque matris cura contubernioque servabantur. Conf. de Gallis Caesar de B. G. VI. 18. Vide et Sueton. in Calig. c. 10.

ἐτρέφετ' ἀτάλλων citat Etym. M. p. 745, 6. perperam ἀτάλλων exponens κακοπαθῶν, neque rectius ab Interpretibus Latine redditum est *crescens:* reddendum erat *pueriliter agens*, vel *lasciviens.* Primaria in hoc vocabulo fuit saliendi notio. Vide Hom. l. c. Philostr. Icon. II. 3. Hesych. v. ἀτάλματα.

vv. 134—138. resolutis numeris citat Porphyr. de Abstin.

II. 8. referens ad nescio quos Thoas, in finibus Thraciae quondam habitantes.

ὕβριν γὰρ ἀτάσθαλον κ. τ. λ.] Per iniurias sibi invicem *ἄλγεα* afferebant. Nondum tamen iis, ut generi, quod secutum est, *Ἄρηος ἔργ' ἔμελε στονόεντα καὶ ὕβριες*. Scribit Lehrsius l. c. ita pravitati morum in hoc genere intentum huius narrationis auctorem fuisse, ut *accedentem nunc laborem et culturam agrorum ne verbo quidem commemoret*. Sed unde rescivit Lehrsius, secundum antiquam traditionem, accessisse tunc laborem et agrorum culturam? Scilicet illi obversabantur haec Ovidii de argentea prole Met. I. 123 seq. *Semina tum primum longis cerealia sulcis Obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci*. Sed Ovidio licuit suo sic obsequi ingenio, ut Arato Ph. v. 112. licuit *boves* et *aratra* iam aetati aureae tribuere.

vs. 137. *ἣ θέμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα*] De vocabulo *ἤθεα* non convenit inter Viros Doctos, cum alii *mores* exponant, alii *consueta loca*, *habitationes*, *oppida*, multis autem locis utraque significatio aeque conveniat, quemadmodum infra v. 222., ubi Graevius *ἤθεα λαῶν* esse vult *habitationes populorum*, aliis *mores* vertentibus. Similiter igitur h. l. *κατ' ἤθεα* alii vertunt *ex more*, alii *oppidatim*, *vicatim*. In versibus quidam 167. 525. magis apparere *habitationis* significatio videtur, eamque obtinere etiam hoc loco censeam.

vs. 138. *Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε* sc. *τῇ γῇ*, ut recte Guyetus. Infra v. 156. *αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν*.

Versu 141. nexus mihi videtur esse: *τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι καλέονται μάκαρες θνητοί*. Scilicet distinguendi gratia dicuntur hi *μάκαρες θνητοὶ*, cum sint etiam alii *μάκαρες ἀθάνα-*

τοι. Vide supra v. 136, 139. Illos μάκαρας θνητοὺς terram obire, ut superiores, non dicit poëta, quocirca lectio Tzetzae et quorumdam Codicum ἐπιχθόνιοι eo niti fundamento nequit, nec, quod Tzetzes vult, vero simile videtur, ἐπιχθονίους δευτέρους dictos eos fuisse; minus etiam μάκαρας θνητοὺς δευτέρους, cum πρῶτοι μάκαρες θνητοὶ nulli fuerint. Recte igitur D. Heinsio δεύτεροι simpliciter sunt *dignitate inferiores*, quam sc. ex aureo genere δαίμονες. Horum δευτέρων quodnam munus fuisse poëta censuerit, haud apparet. Certe non dicit, eos fuisse Φύλακας, ut superiores, merumque Procli commentum est, eos fuisse animarum sub terra custodes. Secuta est eos τιμὴ, quod erant μάκαρες. Nam neque eorum, ut superiorum, benefica in homines natura memoratur, quamquam hos quoque ἀγαθοὺς δαίμονας habuisse Plutarchus videtur de Def. Orac. p. 415. D. dicens, Hesiodum pure et distincte quatuor exposuisse τῶν λογικῶν genera, primum Deos, deinde δαίμονας πολλοὺς κἀγαθοὺς, post heroas, denique homines. Certe nihil est in Hesiodeis, unde elicias, eum hos δευτέρους, ut κακοδαίμονας, sibi informasse.

vv. 143 seqq. Tertium genus, aereum dictum, poëta Iovem ait ἐκ μελιᾶν ποίησαι, incertum relinquens, quemadmodum Iupiter id fecerit, latetque nos, quae fuerit ipsius super ea re sententia, formatumne ab Iove crediderit e fraxino βρέτας, cui deinde, ut Pandorae, indita sint ἀνθρώπου σθένος καὶ αὐδή, cuiusmodi factum quid traditur in mytho de Pygmalionis statua; an mutatas fuisse ab Iove fraxinos in homines, ut mutati feruntur iacti ab Deucalione lapides; an vero ποίησ' ei simpliciter sit *fecit exsistere* seu *nasci*. Postremo hoc modo rem sibi gestam informarunt Hesiodeorum haud dubie memores, Virgilius, apud quem de antiquissimis Italiae temporibus Euander Aen. VIII.

315 seq. *Haec nemora indigenae Fauni, Nymphaeque tenebant, Gensque virûm truncis et duro robore nata* et Statius, qui de primaevis Arcadibus Theb. IV. 276 seq. *nemorum vos stirpe rigenti Fama satos* et v. 279 seqq. *quercus laurique ferebant Cruda puerperia ac populos umbrosa creavit Fraxinus et foeta viridis puer excidit orno.* Sed, quaecunque fuerit Hesiodi sententia, certum est, eum traditionem secutum esse veterem. Namque Homerus etiam Od. T. 163. aliquem, cuius genus rogabatur, compellatum facit: *οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου·* neque dubium est, quin ille mythus, quo generis antiquioris homines ex arboribus, vel saxis nati ferebantur, ad declarandum eorum corporis animique duritiam pertinuerit, quo sane pertinent etiam, quae de Graecorum genere antiquissimo aereo tradidit hoc loco Hesiodus vv. 147—149. Conf. Virgil. G. I. 62 seq.

Recentiorum quosdam male habuit, quod poëtae *χάλκειον γένος* factum dicitur *ἐκ μελιᾶν*, quae pugnare secum invicem censuerunt. Itaque Guyetus scribendum censuit: *ἔκ τε μέλες δεινόν τε* pro *ἐκμελές τε δεινόν τε*, ad Hesychii *ἐκμελής· ἀνάρμοστος* provocans; Vir Doctus, cuius penes me notae sunt MSS. *ἐκ μελέων δεινόν τε καὶ ὄβριμον manibus terribile ac vehemens;* iungendum Theobaldus apud Robinsonum *ἐκ μελιᾶν δεινόν τε καὶ ὄβριμον*, quod sit *hastis terribile ac validum.* At temere hi pro certo habuerunt, *χάλκειον* hoc genus poëtam dixisse a materia, unde formatum erat, quamvis ita censuisse videatur etiam Apollonius Rhod. IV. 1641. Talum totum aereum memorans, *χαλκείης μελιηγενέων ἀνθρώπων Ῥίζης λοιπὸν ἐόντα μετ᾽ ἀνδράσιν ἡμιθέοισι.* Pro tuenda autem vulgata lectione et iunctura *ἐκ μελιᾶν ποίησε* faciunt poëtarum loci supra citati, faciunt Scholiastae ad h. l. nec minus, qui haec respicit Eustath. ad Il. p. 1262, 11., ad Od. p. 1859, 13. Denique, neque

quod Guyetus repositum voluit, epicum est, neque ἐκ μελέων vel ἐκ μελιᾶν δεινὸν pro διὰ τῶν μελ.

Ceterum perperam hîc Proclus de Meliis Nymphis cogitavit, memoratis Th. 187. Magis ad rem est, quod obloquens ei Tzetzes dicit, ἐκ μελιῶν δενδρῶν φασιν αὐτοὺς, ἤγουν στερεούς. Sic sunt πρίνινοι γέροντες apud Aristoph. in Acharn. v. 180.

vs. 150 citatur in Hort. Adon. Ald. p. 178, b. ob ἦν pro ἦσαν, de quo Spohnius videndos laudat Valcken. ad Herod. V. 12. Ruhnken. ad H. in Cer. 499. Wolf. ad Th. 321. et in add.

vs. 151 citant integrum, ut Hesiodi, Apollon. in Lex. v. χάλκεα, Schol. Apollon. Rh. I. 430. Etym. M. p. 805, 32.; posteriorem eius partem Schol. Eurip. ad Phoen. 1898., item Schol. B. ad Il. O. 713. apud Heynium, qui versum hunc inter insertos habet, nescio an offensus neglecto, ut videbatur ipsi, digammate in χαλκῷ δ' εἰργάζοντο· sed puto equidem δ' et sequens digamma sonuisse, ut nostratium *dw*.

vs. 152. χείρεσσιν ὑπὸ σφετέρῃσι δαμέντες *mutuis caedibus interemti*. Convenire cum his videtur traditio de draconigenis seu terrigenis, hoc est antiquissimis Graeciae indigenis, quibuscum advenae Cadmo res fuit.

vs. 153. εὐρώεντα δόμον male Interpretum alii *tenebricosam*, alii *amplam* vel *vastam* reddiderunt; rectius Gatakerus ad M. Antonin. IV. 6. *situ obsitam*. Conf. Scholia ad Od. Ψ. 322.

vv. 156 seqq. Νωνύμνους aerei generis homines excepit

poëtarum carminibus celebratissimum genus ἡρώων ἡμιθέων, quod hoc loco quartum ponitur ab Hesiodo diciturque ab eo θεῖον γένος, cum ferrentur illi heroes, vel parentum alterutrum, vel certe generis auctorem Deorum aliquem habuisse, ut plenius declaratum fuit tum in postrema parte Theogoniae, tum in Catalogis Hesiodeis. In ποίησε v. 158. vix sane est, ut poëtae obversata videatur alicuius ex quacumque materia fabricae notio, sed simpliciter significari videtur, auctorem huius generis fuisse Iovem, sicut plerique etiam illorum heroum orti ex illo ferebantur.

Dicit Plutarchus de Orac. Def. l. supra c. Hesiodum τῶν λογικῶν quatuor memorare genera, θεοὺς, εἶτα δαίμονας πολλοὺς κἀγαθοὺς (tertium genus λογικὸν non habuit, itaque praetermisit) εἶτα ἥρωας, εἶτα ἀνθρώπους, τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων, quorum postrema eo spectant, quod ἡμιθέων appellatio ei non aeque cadere in omnes heroes videbatur. Parum autem accurate Servius ad Aen. VIII. 314. *Sciendum*, inquit, *secundum Hesiodi Theogoniam primo Deos genitos, inde hemitheos, post heroas, inde homines innocentes, ultimo sceleratos.* Plutarchea ob oculos habuit Athenagoras Leg. pro Christian. p. 8. H. Steph.

In v. 160. προτέρῃ γενεῇ iungendum cum καλέονται et vertendum *priori aetati* (sc. ei, quae praecesserat Hesiodeam), ut recte praecepit Graevius. Videtur igitur poëta indicare, sua aetate illos quarti generis homines magis ἥρωας dici, quam ἡμιθέους. Apud Homerum Graeci ad Troiam heroes nunquam ἡμίθεοι dicuntur, nisi uno loco Il. M. 23. qui inde in suspicionem νοθείας venit. Ad ἡμιθέους dictos ἥρωας h. l. respicit Eustathius ad Il. p. 17.

vs. 162 spurium censuit Heyn. ad Il. l. c., eo reiecto melius sibi respondere arbitratus καὶ τοὺς μὲν v. 161. et

τοὺς δὲ v. 164.: sed illi τοὺς μὲν, in v. 166. repetito, respondere mihi videtur in v. 167. τοὺς δὲ, hoc sensu: *absumsit quidem illos bellum, alios apud Thebas, alios ad Troiam: absumsit quidem igitur bellum illos, sed iis cet.*

vs. 163. μήλων ἕνεκ' Οἰδιπόδαο] contentio fuit inter Oedipi filios de regno patrio, sed quoniam illa aetate opes maxime pecoribus censebantur, hinc pugnatum dicit poëta de pecoribus Oedipi. Conf. Proclus ad h. l.

vs. 165. Ad parum congruam epico sermoni brevitatem et (πόλεμος) εἰς Τροίην ἀγαγὼν offensus Hermannus l. c. p. 126. locum supplendum coniicit post hunc versum uno, qui fuerit Ἑλλάδι κῦδος ἔθηκεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων. Lehrsio, in Quaest. Epicis p. 235., si quid omnino supplendum sit, aptior visus hic versus: τινυμένους μέγα ἔργον ἀπώλεσε θυμὸς ἀγήνωρ. Mihi, ut Goettlingio, simplicius videtur πόλεμος intelligere cum Moschopulo.

vs. 171. ἐν μακάρων νήσοισι] μακάρων νήσους nusquam diserte memorat Homerus: sed Od. Δ. 563 seqq. promissam Menelao sedem ἠλύσιον πεδίον, tum item ad πείρατα γαίης et Oceanum ponit, tum aeque beatam describit, ac μακάρων νήσους Hesiodus h. l. et post hunc Pindarus Ol. II. 128 seqq. unde Eustath. ad Od. p. 1509, 23. Ἠλύσιον πεδίον νῆσοι μακάρων παρὰ τοῖς ὕστερον λέγεται. Erat autem secundum Pindarum d. l. μακάρων νῆσος, ubi Κρόνου τύρσις, erantque sic illi μάκαρες cum Crono. Erat secundum alios rex ibi τῶν μακάρων Cronus. Est enim in Monumento Regillae hic versus: ἐν μακάρων νήσοισιν, ἵνα Κρόνος ἐμβασιλεύει, et hoc tradere Hesiodum vult Zenobius Prov. Cent. III. 86. ὁ Ἡσίοδός φησι Μακάρων νήσους εἶναι περὶ τὸν Ὠκεανὸν, κἀκεῖ τοὺς εὐδαίμονας οἰκεῖν ὑπὸ Κρόνου βασιλευο-

μένους, qui sic v. 169. in suo poëtae exemplo habuit cum lectione ἐμβασιλεύει. Sed, ut versus ille tribui possit Hesiodo, legendum ἐμβασίλευε, ut poëta dicat, μακάρων sedem, quamvis ad πείρατα γαίης et Ὠκεανὸν sitam, tamen longe abesse ab sede ἀθανάτων (Titanum) quorum Rex Cronus fuit, quippe in imum Tartarum relegatorum.

vs. 173. τρὶς ἔτεος κ. τ. λ.] Pomponius Mela III. X. 12. *Fortunatae insulae abundant sua sponte genitis et subinde aliis super aliis adnascentibus nihil sollicitos* (ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντας) *alunt*.

vs. 174. μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον κ. τ. λ. Plena affectûs haec exclamatio: *Vtinam ego non postea* (i. e. post exstinctum quartum genus) *interessem quinti generis viris, sed vel ante exortum hoc genus mortem obiissem, vel natus essem post illud*. Declaratur autem his postremis, statuisse Hesiodum, fore, ut, quemadmodum aereo generi iustius ac melius successerat, ita ferreum pariter iustius ac melius exciperet. Hesiodea imitatione expressit Valerius Cato in Diris v. 179 seqq. *Ergo, quod Deus atque heros, cur non minor aetas? Infelix ego, non illo qui tempore natus, Quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva Nascendi miserumque genus*.

Ad μετεῖναι h. l. respicit Eustathius ad Od. p. 1400, 49. positum ab Hesiodo pro συνεῖναι notans.

vs. 176. νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον] Habet h. l. δὴ peculiarem emphasin, qua, ni fallor, significatur, suo poëtam assensu comprobare tributam iam ab aliis seculo suo appellationem σιδηρέου, quod, ipso iudice, omnino conveniret generi, cuius esse deberet quasi ferri duritia (Th. 864.) ad tolerandum labores nocte dieque subeundos. Cum σιδή-

ῥεον h. l. recte iam Goettlingius contulit Il. Ω. 205. et Virgil. I. G. 63. ubi nati e iactis a Deucalione lapidibus *durum genus* dicuntur, quod quomodo accipiendum sit declaratur tum iis, quae praecedunt, tum imitatione Ovidii I. Met. 414. *inde genus durum sumus experiensque laborum Et documenta damus, qua simus origine nati.*

Citat Hesiodea haec Eustath. ad Il. p. 168 extr.

vv. 176—178. οὐδέ ποτ' ἦμαρ Παύσονται καμάτου κ. τ. λ. Futura παύσονται, δώσουσι, μεμίξεται pertinent ad reliquum transigendae Hesiodo fratrique vitae tempus. Volebat poëta fratrem scire, non fore, ut unquam ipsis vacua esset labore vita; at fore tamen, ut vitae malis quaedam admixta essent bona; unde sic praesentis humanae conditionis admonitus Perses et sibi laborandum esse intelligeret et erigeretur tamen spe proposita alicuius laborem compensantis boni. Videor mihi satis sic expedivisse locum, in quo haerens Goettlingius ideo versus 179—181. uncinis inclusit.

Postrema versûs 176 cum v. 177 seq. citat Clemens Alex. Strom. V. p. 260. atque hinc Euseb. Praep. Euang. XIII. p. 403. R. Steph.

vv. 179 seqq. Praesagiebat Hesiodus fore, ut, quemadmodum argenteo generi causa interitûs fuissent ipsorum ἀφράδιαι, ὕβρις, pietatis neglectus, aereo morum immanitas, ita ob similia ferrei generis vitia, quae iam sua aetate gliscere et in dies crescere videbat, Iupiter denique illud quoque genus, post evectam ad summum eius pravitatem, prorsus de medio sublaturus esset. Itaque poëta, quales futuri essent proxime ante illum exitum quinti generis mores vividissimis coloribus describit vv. 182—201., id agens haud dubie, ut proposito etiam horum scelerum ex-

itu, Iove illa vindicante, sui temporis homines ab illis deterreat.

vs. 181. *εὖτ' ἂν γεινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθωσιν* i. e. ut bene explicat Moschopulus, *ὁπήνικα ἂν οἱ γινόμενοι πολιοκρόταφοι ὦσιν, ἅμα τῷ γενέσθαι δηλονότι· ὑπερβολικῶς τοῦτο εἴρηται ἀντὶ τοῦ· ὅταν ὀλιγοχρόνιοι ὦσι καὶ τάχιστα γηρῶντες.* Certe additum *γεινόμενοι* declarat, canos statim a nativitate et sic brevis aevi futuros, cum canities senectutis sit indicium, senectutem autem cito mors sequatur. Itaque admitti nequit explicatio Hermanni Opusc. T. VI. p. 169. simpliciter reddendum censentis, *ubi consenuerint*. Vult poëta indicare, apud postremos ferrei generis homines peiora omnia futura, tam quod ad habitum corporis ac diuturnitatem vitae, quam quod ad animum ac mores attineret, ut item tam quod ad *φυὴν*, quam quod ad *νόημα* attinebat, argenteum ille genus deterius aureo tradiderat. Similiter in libris Indorum sacris extremo hominum generi corporis mensura non excessura caulis brassicae altitudinem, vitae spatium non nisi unius diei futurum dicitur.

Citat versum 181. ut Hesiodeum, Aristides T. I. p. 227. Iebb. T. I. p. 369. Dind.

vs. 182 respiciens Eustath. ad Od. p. 1445, 27. *ὁμοῖοι* (voluit *ὁμοίιοι*) *καὶ οἱ ὁμονοητικοὶ καὶ φιλικοὶ, ὡς ἐν Ἡσιόδῳ δηλοῦται.* Consentiunt super ea significatione *τοῦ ὁμοίϊος* etiam Scholiastae ad h. l. sed recentiorum non nemo ad similitudinem vultûs retulit, recte dissentiente Graevio. Apud Homerum autem *ὁμοίϊα* dicuntur quae sunt multis communia. Vid. Apollon. in Lex. v. *ὁμοιΐου πολέμοιο*, ibique Villois. Conf. et Heyn. ad Il. Δ. 315.

vs. 186 *ὑπονοθεύειν* visus Guyeto, qui tamen more suo,

cur sic ei visum sit, non dicit. Heynius autem ad Il. Π. 422. et in Exc. II. ad Il. P. (T. VII. p. 421.) et hunc versum et tres sequentes ab aliena manu insertos statuit, quippe qui praecedentem iterent sententiam. Mihi non iusta haec causa videtur abiudicandi antiquo poëtae locum. Magis scrupulum mihi iniicit neglectum digamma in *βάζοντες ἔπεσσι* et *ὄπιν εἴδοτες*. Sed admissa lectione *βάζοντε Fέπεσσι* prius vitium tollitur, simulque versui color additur antiquitatis, tum observato digammate, tum usu dualis pro plurali: alterum autem vitium tollendi minus expedita est ratio. Fuitne antiquitus *οὐδ' ἀλέγοντε θεῶν ὄπιν*, quod ibi quoque ad dualem numerum offensi immutaverint recentiores?

vs. 188. *γηράντεσσι τοκεῦσιν*, ut Hesiodeum, citat Eustath. ad Il. p. 1101, 63. ad Od. p. 1490, 37.; 1900, 9. ob *γήραντεσσι* a *γηρὰς* Aor. I. part. verbi *γήρημι*. Conf. et Etym. M. p. 230. 50 seqq.

vs. 189. *χειροδίκαι*] Eustath. ad Il. p. 201. pr. *παρὰ Ἡσιόδῳ χειροδίκης ὁ βίαιος καὶ οὐκ ἐν τοῖς νόμοις, ἀλλ' ἐν χερσὶ ταῖς ἑαυτοῦ κείμενον ἔχων τὸ δίκαιον*. Vid. idem ad Od. p. 1459, 54. Etym. M. p. 810, 42. Contulit Goettlingius frequentatam posteris dictionem *ἐν χειρὸς* vel *χειρῶν νόμῳ*.

vv. 190—196., ut Hesiodi, citat Stobaeus Serm. II. 30

vv. 191 seq. *ὕβριν ἀνέρα*) Recte contulit Robinsonus h[illegible] Lucretii IV. 1156. *Parvula, pumilio, χαρίτων ἴα, tota* [illegible] *rum sal* et Martialis XI. 92. *non vitiosus homo ei, Zo*[illegible] *sed vitium*. Itaque Hesiodus etiam *ἀνέρα ὕβριν* dicendo [illegible] dixit, quam si dixisset *ὑβριστὴν*, quo vocabulo Proclu[illegible]

hinc Scaliger, aliique Hesiodeum interpretati sunt; ut in loco, quem citavit Goettlingius, Herodoti III. 142. γεγονώς τε κακὸς καὶ ἐὼν ὄλεθρος plus est, quam si dixisset ὀλέθριος.

Versûs 192 posteriora respexit Eustathius ad Il. p. 201. cui δίκην ἔχων ἐν χερσὶν exponitur ὁ δίκαιος, καὶ ἀεὶ πρὸ χειρῶν οἷον φέρων τὸ δίκαιον, ut ab hoc plane differat ὁ χειροδίκης. At Tzetzes accepit δίκη δ' ἐν χερσὶν (ἔσται) καὶ αἰδὼς οὐκ ἔσται. Secuti hunc Dindorf. et Goettl. qui tamen addit: "nisi haec est sententia: in eorum manibus, i. e. ἐν ἔργοις, in iis, quae agunt, neque iustitia, neque pudor agnoscetur," id quidem dubito, an recte. Suspicatur Hermannus in alia recensione fuisse δίκη δ' ἐν τοῖσι καὶ αἰδώς.

vs. 193 citat, ut Hesiodi, Schol. Sophocl. ad Philoct. v. 456.

vs. 194. ἐπὶ δ' ὅρκον ὀμεῖται notavit iam H. Steph. esse hîc dictum pro ὀμεῖται δ' ἐπίορκον.

vs. 197 cum duobus sequentibus et versûs 201 principio citat, ut Hesiodi, Schol. Sophocl. ad Oed. Colon. 1670.; solutis numeris nonnulla ex his Grammaticus in Hort. Adon. Ald. p. 181.; solum versum 197. Schol. Arati ad v. 97.

vv. 197 seq. καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον — ἴτον — Αἰδὼς καὶ Νέμεσις *Et tunc sane in Olympum — eunt* (pro *ibunt*) *Pudor et Nemesis.* Scilicet eas Hesiodus sua aetate adhuc inter homines versari statuebat, quippe quae *nondum* οὔπω (infra v. 273.) ad summum nequitiae provecta esset. Respiciens haec Heliodorus Aethiop. I. 14. οὐ παντάπασιν ἐκλέλοιπεν ἡμᾶς ἡ Δίκη καθ' Ἡσίοδον, ubi memoria lapsus

Dicen pro Nemesi memorat. Apud Aratum autem vv. 133 seqq. statim ab enato genere aereo terras reliquisse Dice traditur, quorum memor Lehrsius l. c. hinc versus 197—201. Hesiodo abiudicat.

vs. 198. *καλυψαμένω χρόα χαλὸν* citat Apollon. de Constr. p. 209. Bekk.

Versûs 199 posteriora cum principio versûs sequentis citat Eustath. p. 713, 15.; *προλιπόντ' ἀνθρώπων* (sic) etiam Schol. Ven. ad Il. Θ. 455. ob masculinum pro feminino.

vs. 200. *τὰ δὲ λείψεται ἄλγεα λυγρὰ*, ut Hesiodi, citat Eustath. ad Il. p. 886, 60.; p. 966, 12.; p. 1373, 63.; ad Od. p. 1434, 33.

vv. 202—211. Nunc ad Ascrae reges s. iudices convertens se poëta causam iis enunciat, cur, quamvis iniquitate eorum laesus, tamen opponere se iis nolit. Tecte autem id enunciat per *αἶνον*, in quo iudices inducit sub persona accipitris avis validae ac rapacis, semet ipsum sub aëdonis, avis canorae, persona.

Apud Homerum Od. Ξ. 508. *αἶνος* simpliciter est *narratio*. Sed, qualem hîc habemus, *αἶνος* optime definitur ab Eustathio ad Il. p. 855, 3. *λόγος μυθικὸς ἐκφερόμενος ἀπὸ ἀλόγων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν*, qui deinde ex Hesiodo et aliis exempla subiungit. Conf. Ammonius in v. *αἶνος*. Ob hunc autem *αἶνον* Hesiodus fabularum eius, quod Aesopus frequentavit, generis primus auctor fuisse dicitur Plutarcho in Conv. Sept. Sap. p. 158. B. Quinctiliano I. O. V. 11. Iuliano Or. VII. p. 207. Ez. Spanh. sed longe antiquior eius usus in Oriente fuerat. Vide fabulam Iothami in libro Iudic. XI. 7 seqq.

vv. 202 seq. citat Ammonius l. c.; versum 202 integrum solutis numeris Eustath. ad Od. p. 1766, 57. priora versûs ad Il. p. 855, 2. p. 1158, 35. ad Od. p. 1425, 49. Goettlingio additus hic versus postea videtur, quod iudicium ratione destitutum esse merito censuit Hermannus.

Φρονέουσι καὶ αὐτοῖς *ipsis bene intelligentibus*, quid hoc sit, potentia ac viribus praestare.

vs. 203 citant Theon Progymn. c. 3. Greg. Cor. de Dial. Ion. § 66. Etym. M. p. 467. 57.

ἀήδονα ποικιλόδειρον] Quamvis elegans et poëtae, hîc per ἀήδονα significato, conveniens videri possit, ab Ruhnkenio Ep. Crit. I. p. 49. proposita, lectio ποικιλόγηρυν, tamen admittenda non est, cum vulgatam tueantur, ut Codd. et Scholiastae omnes, ita auctores supra citati, pariterque a pulcritudine et colore quasi auri ἀήδονα celebret Aristoph. in Avibus v. 668. 671. (ubi Scholiastes respici ad τὸ ποικιλόδειρον notat) ac similiter αἰολόδειρον ἀήδονα dixerit imitator Veterum Nonnus XXVI. 214. XLVII. 31., ut ab externo habitu dicta etiam χλωρηῒς ἀήδων apud Homerum Od. T. 517. et, teste ibi Scholiasta, χλωραύχενες ἀήδονες apud Simoniden. Tum, qua ratione acquiesci in vulgata possit, ipse Ruhnkenius indicavit, citans locum Clementis Alex. Paedag. II. 10. ὡσαύτως δὲ καὶ ἀήδων καὶ τὸ χρῶμα καὶ τὴν ᾠδὴν συμμεταβάλλει ταῖς τροπαῖς, quibus similia exhibent Aristot. H. A. IX. 39. Aelian. de Anim. XII. 28. Plinius X. 43. At neque certum est, ab Hesiodo per ἀήδονα nobis vulgo notam lusciniam significari, cum recentiores Ornithologi ab hac, dicta ipsis *sylvia luscinia*, distinguant *sylviam philomelam* seu *lusciniam maculatam*, in cuius flavescenti pectore, praesertim, si annosae sunt aves, hîc illic fuscae apparent maculae ac striae, quales etiam in albo collo observantur. Ad hanc aviculam, per Orientales Eu-

ropae partes passim obviam, respexisse potest et omnino videtur Hesiodus, cum in eam optime conveniat epitheton ποικιλόδειρος, ut pariter ei conveniunt tributa ab Homero, Simonide, Aristophane epitheta. Vid. I. G. Ph. F. Groshans in Prodromo Faunae Homeri et Hesiodi fasc. II. p. 2 seq. auctoresque ibi citt.

vs. 206. ἐπικρατέως i. e., ut bene exponit Moschopulus, ἀπηνῶς, μετὰ γνώμης τὴν αὐτοῦ ἐπικράτειαν ἐμφαινούσης.

vs. 207. δαιμονίη non est *infelix*, ut male vertitur, sed *o bona* cum ironiae significatione. Conf. Il. B. 190. 200. et Eustath. ad Il. p. 200 seq.

vs. 210 seq. citat, ut Hesiodi, Stobaeus IV. 3.; unum v. 210 Theon Progymn. l. c. Etym. M. p. 113. 14. Spurium utrumque habuit Aristarchus, teste Proclo ad h. l. quod brutis non conveniant sententiae. Movit hoc Graevium, ut traiiciendos versus putaret hoc modo: Δεῖπνον δ' αἴκ' —Ἄφρων δ', ὅς κ' ἐθέλῃ — Νίκης τε στέρεται. Graevium Brunckius secutus est. Goettlingius autem ex semel concepta opinione versus hos non quidem spurios, sed male huc traiectos putat, addita post ἄφρων particula δὲ, qui pertinuerint ad idem gnomicae poëseos genus, ad quod pertineant etiam v. 25 seq. Recte autem censuit Hermannus, opinionem illam nullis fultam esse idoneis rationibus. Sed neque Aristarchi iudicium probari potest, quod bene iam refutavit Tzetzes, animadvertens, fabulas, cum brutis tribuant sermonem, posse quoque iisdem commode sententias tribuere. Sic quidem etiam agnum sententiam proferentem inducit Phaedrus III. 15. et ciconiam I. 26. Male autem Theon l. c. ex his v. 210 seq. ab accipitre subiectis colligit, raptam ἀήδονα ab indignante illo, quod ἐρίζειν cum

ipso voluerat. Immo hoc aegre fert accipiter, quod rapta ἀντιφερίζει, sc. λεληκυῖα καὶ μυρομένη.

vv. 213 seqq. Poëta rursus apud fratrem, ut ille duntaxat colere iustitiam velit, monendo instat, simul tamen alios commonefaciens de bonis, quae cultam, deque malis, quae neglectam iustitiam sequantur, Iove ita res humanas gubernante.

vv. 214 seq. ὕβρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς Ῥηϊδίως φερέμεν δύναται] Est δειλὸς βροτὸς h. l. ἀγενὴς, ἀσθενέστερος, *genere atque opibus inferior*; ἐσθλὸς ὁ τῇ τύχῃ καὶ τῇ δυνάμει προέχων, ut recte iam exposuerat Plutarchus, a quo perperam discessit Proclus, ipse ἐσθλοὺς intelligens τοὺς κατ' ἀρετὴν προέχοντας. Vt hîc ἐσθλὸς et δειλὸς, ita ἀγαθοὶ et δειλοὶ opponuntur sibi invicem in proverbio apud Athen. V. p. 178. B. Zenobium II. 19. Conf. omnino Welckerus Prolegom. ad Theogn. p. XXII seqq.

vv. 215 seq. βαρύθει δέ τ' ὑπ' αὐτῆς Ἐγκύρσας ἄτῃσιν] Qui iniuriam perpetrat, eo ipso noxam contrahit, quae non nisi poenâ aliquâ solvi potest. Itaque ἐγκύρσας ἄτῃσιν, *cum in noxae poenas incidit*, ita demum intelligit, ab iniuria, quam commisit, se gravari.

vv. 216 seq. nexus est: ὁδὸς δὲ κρείσσων (ἐστὶ) παρελθεῖν ἑτέρηφι ἐς τὰ δίκαια. Eustathius hunc locum respiciens ad Il. p. 1251, 25. τὸ ἑτέρηφι inquit παρ' Ἡσιόδῳ ἀντὶ τοῦ ἑτέρως, rectius ille, quam citantes posteriora versûs 216 Schol. Ven. L. ad Il. B. 233. Schol. A. ad Il. N. 588., quibus ἑτέρηφι accipitur casu recto pro ἑτέρα.

Versûs 217 posteriora cum principio versûs sequentis citat Schol. Eurip. ad Hec. v. 1187.

vs. 218. παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω citant Schol. Pindar. Isthm. I. 56. Schol. Aeschyl. Agam. 185. Respicit eadem Schol. ad Homericum Il. P. 32. ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Versu 219 novum carmen ordiri, cuius suppressum initium sit, atque continuari usque ad v. 246, arbitratur Thierschius Act. Monac. III. p. 406 seq., cui recte non adstipulatur Goettlingius. Optime enim haec cum antecedentibus cohaerent. Lehrsio autem Quaest. Epp. p. 239., versum 220 et seq. postea additos statuenti, item recte obiecit Goettlingius, e σκολιῇσι δίκῃσιν (v. 219.) vix posse ad ἣ δ' (v. 222.) Δίκην intelligi. Versum 221 Heyn. ad Il. P. 387. ex hoc Homerico confictum censuit. Equidem aegre caream versu, quo remoto stet ἄνδρες v. 220. sine epitheto.

αὐτίκα γὰρ τρέχει Ὅρκος κ. τ. λ. Iniusta iudicia, σκολιὰς δίκας, fere comitatur periurium, vel iudicum, qui contra fidem ac iusiurandum sententiam ferunt, vel litigantium alterius, qui periurio superior evadit, vel etiam testium. Vid. infra 282. Hoc igitur periurium vindicat secundum Hesiodum Ὅρκος, iurisiurandi Deus. Conf. Th. 231., infra 804. Eleganter autem hîc dicitur Ὅρκος τρέχειν ἅμα σκολιῇσι δίκῃσιν, i. e. currendo instare iis, ne effugiant ipsum. Aeschines Or. contra Ctesiph. non longe a fine de iudice, qui iniustam sententiam tulit: ἔπειθ' ὁ μὲν ὅρκος, ὃν ὀμωμοκὼς δικάζει, συμπαρακολουθῶν αὐτὸν λυπεῖ. Conf. oraculum, Glauco redditum, apud Herod. VI. 86.

vs. 220. τῆς δὲ Δίκης ῥόθος ἑλκομένης κ. τ. λ.] Teste Proclo ad h. l. Plutarchus τὰς ὀρεινὰς ὁδοὺς καὶ στενὰς καὶ δυσαντεῖς dici ῥόθους tradidit; itaque hunc esse loci sensum:

δυσαντής ἐστιν ἡ ὁδὸς καὶ τραχεῖα, δι' ἧς ἕλκεται ἡ Δίκη ὑπὸ τῶν δικαστῶν. Mihi magis convenit cum iis, qui, teste eodem Proclo, *τὸν ῥόθον ἤκουσαν τὸν ψόφον*, qualem sc. tractae per solum res edunt. *Ῥόθος* a *ῥόω*, cui cognatum *ῥέω*, *fluo*, dicitur quaevis cum strepitu progressio, *ὁρμὴ μετὰ ψόφου*, ut bene exponitur ab Hesychio. *Πτερύγων ῥόθον* dixit Oppianus Hal. V. 17., *κῦμα βέβρυχεν ῥόθιον* Homerus Od. E. 412., quo respexit Proclus ad h. l. Conf. Etym. M. p. 705, 10. VV. DD. ad Hesych. v. *ῥόθος*. Itaque videtur mihi poëta velle, *σκολιὰς δίκας* comitari quoque (potest enim *ἀπὸ κοίνου* intelligi *τρέχει*) strepitum tractae, quo non oportebat, Iustitiae, quem audiat summus ille hominum ac Deorum rex, idemque pater Iustitiae, Iupiter. Conf. infra vv. 239, 245, 247, 256 seqq. Dubium autem non est, quin verba *τῆς δὲ Δίκης* (non *δίκης*) referenda sint ad ipsam Deam, de qua mox dicitur: *ἡ δ' ἕπεται κ. τ. λ.* *illa autem* sic per vim trahentes *sequitur ἀποκλαίουσα τὴν πόλιν, ἐν ᾗ τοιοῦτοι δικάζουσιν*, ut recte exposuit Proclus.

vs. 223. *ἠέρα ἑσσαμένη*] Scilicet istos prave iudicantes fallit, ipsam sic se violare praesidem iustitiae Deam, trahentes eam, quo non vult. Latet haec eos, quasi nube tecta. Conf. v. 125. 255.

vs. 224. *ἰθεῖαν ἔνειμαν*, ut Hesiodeum, ex h. l. citat Eustath. ad Il. p. 1316, 60.

vv. 225 - 247 aemulatus est imitando Callimachus H. in Dian. 120—135.

vs. 227, ut Hesiodi, citat Eustath. ad Il. p. 743, 36.; p. 1007, 16 seq.

vs. 228. *εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος* citat Schol. Pindari ad Pyth. VIII. 1.

vs. 229. *πόλεμον τεκμαίρεται destinat immittendum*. Conf. Il. Z. 349., H. 70. infra v. 239, 398. Respicit haec Eustath. ad Il. p. 692, 62.; idem, ob sequentem versum, *ἰθυδίκην*, ut Hesiodeum, memorans ad Od. p. 1857, 56.

vs. 233 citat cum seq. versu Plato de Re publ. II. p. 363. B.; solum Plutarchus apud Euseb. Praep. Euang. p. 86. D.; item Schol. Nicand. Alexiph. v. 448. In his autem Plinii XVI. 8. *robora ferunt et viscum et mella, ut auctor Hesiodus*, postrema non nisi ad proxime praecedentia *et mella* pertinent. Nam de visco nihil, opinor, tradidit Hesiodus, nec tradidisse eum credidit Plinius. Ceterum *μελίσσας* possis etiam ad apum examina referre. Vid. Virgil. II. G. 452. Columella IX. VIII. 11.

vs. 234 citat Clemens Alex. Paedag. III. p. 266.

vs. 235 respicit Plutarchus in Praec. Ger. Rei publ. p. 824. E. Apud Aeschinem Or. contra Ctesiph. p. 69. Steph. imprecatio est in legis cuiusdam sacrae violatores *μήτε γῆν καρποὺς φέρειν, μήτε γυναῖκας τέκνα τίκτειν γονεῦσιν ἐοικότα, ἀλλὰ τέρατα — ἥτταν δὲ αὐτοῖς εἶναι πολέμου καὶ δίκων καὶ ἀγορῶν, καὶ ἐξώλεις εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ οἰκίας καὶ γένος τὸ ἐκείνων*. De illo castitatis fideique in maritum uxoris laudatissimo apud Veteres indicio vide praeter VV. DD. ad Horat. IV. V. 23. Meziriac ad Ovid. Her. T. II. p. 120. Drakenb. ad Sil. Ital. II. 634.

vs. 236. *οὐδ' ἐπὶ νηῶν Νείσσονται*] Mirum videatur, Hesiodum sui temporis homines, qui sancte iusteque viverent,

ab omni navium usu prohibuisse, cum navigatio tempestiva, secundum ipsum poëtam v. 663 seqq., ita demum periculosa esse possit, si navigantibus irati Dii sint: atqui non possunt iusti Deos iratos habere, sed possunt omnino opus habere navibus, praesertim, si ad mare habitent, quod vel ipse expertus erat poëta, cui traiiciendum fuit Euripi fretum ad ludi certamen obeundum in Euboea. Itaque necdum me poenitet coniecturae, olim propositae, esse non *οὐ* sed *εὖ* profectum hîc ab Hesiodo, sic quoque opponente sibi invicem: *εὖ δ' ἐπὶ νηῶν νείσσονται iusti prospere navibus iter faciunt* (Conf. Il. A. 19. Od. Γ. 188. 190.) et scelestorum *νέας ἐν πόντῳ Κρονίδης ἀποτίνυται.* v. 247. Mutationi causam dedisse potest, quod *δὲ* post *καρπὸν* particulam adversativam habuerunt. Iustos usu navium non exclusos ab Hesiodo censuit ille Veterum, cui Suidas v. *δίκας* sua haec debuit: *τοῖςγε μὴν ἐκείνην σέβουσι τήν τε γῆν τὰ οἰκεῖα βρύειν φησὶν* (Ἡσίοδος) *ἀγαθὰ καὶ τὴν θάλατταν χορηγεῖν, ὅσα τίκτει καὶ τρέφει, μάλα ἀφθόνως.* Ne quis mihi versus obiiciat Arati Ph. 110 seq. *αὔτως δ' ἔζωον· χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα· Καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον, Ἀλλὰ βόες καὶ ἄροτρα*, qui possit imitatus Hesiodum videri, tenendum est, Aratum ibi mores et vivendi rationem hominum aurei seculi describere, Hesiodum autem hîc de iusto sui seculi populo agere, cui tam piscatus et commercia per naves, quam agricultura, facilem poterant victum facere, unde etiam ipse in hoc carmine de navigatione sibi agendum duxit.

vs. 238 respicit Suidas l. c.

vv. 240—247 omissis versibus 244, 5, ut Hesiodi, citat Aeschines contra Ctesiph. p. 73. Steph., unum v. 240, sine poëtae mentione, Libanius Decl. XLIII. p. 901. B., Eustath.

ad Il. p. 127. initio; ut Hesiodeum, Schol. Pind. Pyth. III. 64. Schol. D. ad Il. A. 42. Respicit eundem Eustath. ad Il. p. 1059, 14. Hesiodeis h. l. similia sunt apud Hoseam IX. 11 seqq. Conf. et Herod. VII. 137. Sophocles Oed. Tyr. 25 seqq.

vv. 242 seq. citat Plutarchus de Stoic. Repugn. p. 1040. C.; versum 243. Draco Stratonicenus p. 63, 12. Eustath. ad Od. p. 1787, 27.

vs. 243. *λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν*] Quemadmodum apud iustum populum e felicissimo pecorum atque agrorum proventu summa oritur annonae facilitas, ita apud sceleratam gentem, sequente noxam *ἀφορίᾳ*, sterilitate agrorum ac pecorum (vid. Antiphon in *κατηγ. φόνου* circa fin. et in *ἀπολογ. φόνου* circa finem, necnon Aeschin. l. supra cit.) necessario exsistit fames et e fame pestis.

vv. 244 seq. recte Goettlingius: »Aeschinem omisisse v. 244, 245 non mirum est; ridiculum enim fuisset pro sua sententia versus illos addere."

vv. 248 seqq. *ὦ βασιλεῖς, κ. τ. λ.*] Sententiarum nexus est: Animum, o Reges, attendite vos quoque ad hanc poenam, qua Iupiter saepe vel ob unius viri noxam totam civitatem afficit (v. 260 seq.): neque enim est, ut iniuste facta Iovem fallant, cum ter decies mille *ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες* (*θνητῶν ἀνθρώπων*) illa non e longinquo, sed *ἐγγύς*, prope versantes inter homines, observent.

vs. 252 citant cum seq. Sext. Empir. IX. 86. et Clem. Alex. Protr. p. 35., hic non sine indicio Hesiodi; cum principio sequentis Maximus Tyr. Diss. XIV. c. ult., eodem re-

spiciens Diss. XVII. c. ult. sed utroque loco sine auctoris mentione; priora versûs 252, ut Hesiodea, Eustath. ad Od. p. 1542, 46. Eadem haec et superiora respicit etiam Oenomaus apud Euseb. Praep. Euang. V. c. ult., item Pseudo-Heraclitus in Epistola, a Boissonadio edita, annott. in Eunapium p. 426., qui tamen memoria lapsus tres Erinnyum *μυρίαδας* memorantem Hesiodum facit. Memorati autem hîc *τρὶς μύριοι*, definite, more poëtarum, de magno numero (conf. Eustath. l. c.), haud dubie significantur homines aurei generis, post mortem facti, Iove sic volente, *δαίμονες ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων* (supra v. 122 seqq.). Itaque perperam Clem. Alex. l. c. poëtam carpit, quod, quinam isti *τρὶς μύριοι* intelligendi sint, non dixerit.

vs. 253. *ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες* i. e. ut bene exponunt Scholiastae *θεοὶ ὑπηρέται τοῦ Διὸς, ὑπὸ τοῦ Διὸς ταχθέντες φύλακες, ἔφοροι θνητῶν ἀνθρώπων*. Ita apud Callim. H. in Iov. v. 79 seqq. *Διὸς ἄνακτες* sunt *ab Iove constituti Reges*. Vid. Ern. ad illum locum.

vs. 255. *ἠέρα ἑσσάμενοι*] iidem dicti *ἀφανεῖς* Maximo Tyrio Diss. XVII. c. ult.

vv. 256—262 citat, ut Hesiodi *Ἔργων*, Stobaeus IX. p. 100.; priora versûs 256 Plutarchus ad Princ. inerud. p. 781. B., posteriora eiusdem Schol. Arati ad Ph. v. 97. Dictam *παρθένον* ab Hesiodo *Δίκην* etiam Suidas ait v. *δίκης*. Ad v. 256 et seq. respiciens Plato de LL. XII. p. 943. *παρθένος αἰδοίη Δίκη λέγεται καὶ ὄντως εἴρηται.*

ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη κ. τ. λ. i. e. estque praeterea virgo Iustitia Iovis filia magno in honore apud Coelites, qui proinde factam illi iniuriam non inultam sinant: nisi

malis iungere ἡ δέ τε παρθένος Δίκη ἐστὶν ἐκγεγαυῖα Διός. Certum est τε loci nexum indicare cum antecedentibus. Itaque admitti nequit proposita ab Hermanno l. c. p. 228. constructio ἡ δέ Δίκη ἐστὶ παρθένος *Iustitia autem est casta virgo*, neque tamen ideo cum Goettlingio supplendum φύλαξ. Ceterum haud dubie dicta ideo παρθένος Hesiodo Δίκη, quia ἀδιάφθορος iustitia, ut censuerunt Plutarchus et Suidas ll. cc. Conf. et Proclus ad h. l.

vs. 258. σκολιῶς ὀνοτάζων *perperam contumelia afficiens.* Exstat verbum etiam H. Hom. in Merc. 30. et apud Aeschyl. Suppl. v. 11.

vs. 259. πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη] apud Sophoclem Oed. Col. v. 1391. dicitur Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίων νόμων, ut apud Pindarum Ol. VIII. 28. Διὸς ξενίου πάρεδρος Θέμις.

vs. 260. ὄφρ᾽ ἀποτίσῃ Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων] Conferri possunt Horatiana Epp. I. II. 14. *Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi*, quorum tamen fundus magis est in Homericis Il. A. 410.

vs. 261. ad βασιλέων pro solemni apud Epicos βασιλήων offendit Lehrsius Quaest. Epp. p. 242., qua de re vide, quae sub contextu notavimus: tum ineptos censet versum 261 et seq. hîc, ubi reges admonentur et deterrentur. Sed, ubi populus, cui rex praeest, talia patitur, qualia v. 242 seqq. memorantur, profecto neque ipsi regi bene est.

vs. 265 citat Aristoteles Rhet. III. 9. Sententiam dicti refert Pausanias II. IX. 5. dicens σὺν θεῷ πεποιημένον ab Hesiodo. Versum respicit etiam Eustath. ad Il. p. 522, 14. ex quo discimus, similis sententiae versum, citatum a Plu-

tarcho de S. N. V. p. 554. A. et, quamvis in principio diversum, ab Aeliano V. H. VIII. 9. ὅς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει, esse Callimachi, a quo proinde illum mutuatus est Lucillius A. Pal. XI. 183. v. 5. Conf. Erasmi Adag. Cent. I. prov. 52 seqq.

vs. 266 citat Plutarchus de Aud. poët. p. 36. A. de S. N. V. p. 554. B. Romanorum autem proverbium: *malum consilium consultori pessimum est* (conf. Varro de R. R. III. 2.) de Graeco hoc Hesiodi expressum censet Gellius IV. 5.

vv. 267—273 eiiciendos, Proclo teste, censuit Plutarchus, ut pote indignos poëtae iudicio de iusto et iniusto. Scilicet Plutarchum male habuerunt illa, quae leguntur vv. 270. 1. 2. Delevit versus, Plutarcho obsecutus, Brunckius; delendos etiam censuerat Guyetus; uncinis inclusit Bentleius, Goettlingius in annotatione critica vv. 270—273. »non videntur, inquit ab Hesiodo profecti, quem non decet in primis v. 270." in subiecta autem annotatione Lehrsium (p. 236.) recte monere ait versum 273 adiectum ab eo, cui superiora nimis videbantur morose dicta. Equidem cum Robinsono censeo, ipsum hunc v. 273 ab omni impietate poëtam absolvere, qui correctum ita voluerit, quod e dolore, ob factam vel metuendam sibi iniuriam suscepto, dictum ipsi morosius exciderat. Conf. Tzetzes ad h. l.

vs. 269. τὴν δὲ δίκην i. e., ut Proclus exponit, τὴν δίκην, ἥν μοι ἀπειλεῖς, ὦ Πέρση, τὴν τῶν βασιλέων ἐν τῇ πόλει ταύτῃ πονηρὰν οὖσαν.

vs. 270 cum duobus sequentibus, ut Hesiodi Ἔργων, citat Stobaeus II. p. 30.

vs. 273. *οὔπω nondum.* Namque extremo demum seculo ferreo futurus erat hic rerum status. Quod poëta in v. 271. filium memoravit, indicare videtur, censuisse eum, ne filii quidem sui aetate tale quid futurum.

vv. 274—285. *ὦ Πέρση, σὺ δε ταῦτα κ. τ. λ. Tu vero, o Persa, in animum haec reconde, Iovem adhuc Iustitiam in terris vindicare et esse velle, cum iustitia etiam conveniat hominibus, quorum vivendi morem diversum esse voluit Iupiter ab eo, quem piscibus, feris et οἰωνοῖς avibus rapacibus constituit.* Accedit (v. 279 seqq.) colendae iustitiae momentum hoc, quod colentem eam praemia, negligentem ac violantem poenae sequantur ab Iove, neque tantum colentes vel negligentes ipsos, sed etiam ipsorum posteros.

vs. 276 cum tribus sequentibus, ut Hesiodeos, citat Clemens Alex. Strom. I. p. 427.; cum duobus sequentibus Stobaeus Ecl. Phys. I. p. 8.; versum 277 cum proxime seq. et principio versûs 279 Plutarchûs de Animal. Solert. p. 964. B. Aelianus H. An. VI. 50. Porphyrius de Abstin. I. § 5.; cum uno proxime seq. Sext. Emp. adv. Math. II. 32. Obversata autem haec Hesiodea videntur tum Varroni apud Nonium v. *comest* II. 98. *pisceis ut saepe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter*, tum Oppiano in hisce Hal. II. 43 seqq. *Ἰχθύσι δ' οὔτε δίκη μεταρίθμιος, οὔτε τις αἰδὼς, Οὐ φιλότης· πάντες γὰρ ἀνάρσιοι ἀλλήλοισι Δυσμενέες πλώουσιν· ὁ δὲ κρατερώτερος αἰεὶ Δαίνυτ' ἀφαυροτέρους.*

τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων non *legem*, ut male reddiderunt, sed *vivendi modum ac morem.* Conf. quae notavimus ad Th. 66. *τόνδε* pertinet ad seqq. v. 279. *ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην.*

vs. 280 seq. nexus est: εἰ γάρ τις γινώσκων τὰ δίκαια ἐθέλῃ ἀγορεύειν; et est ἀγορεύειν *effari*, *in publicum proferre*. Esse autem hîc sermonem maxime de teste arguit sequens versus 282, ubi construe: ὃς δέ κε ψεύσεται ἑκὼν, ὀμόσσας ἐπίορκον μαρτυρίῃσιν καὶ ἐν (αὐταῖς) βλάψας δίκην, ἀάσθῃ νήκεστον.

vv. 284 seq. in oraculo, quod Glauco redditum (vide Herod. VI. 86.), periurium persequi Ὅρκου παῖς dicitur, εἰσόκε πᾶσαν Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα: deinde sequitur, ut hîc, in v. 285. ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

vv. 287—292. locus est ob singularem praestantiam ab optimo quoque Veterum auctorum celebratus. Versus hos sex omnes, ut Hesiodeos, citat Xenophon Mem. II. I. 20. et hinc Stobaeus I. p. 28. Eorum tres priores sine auctoris nomine Plato de Re publ. II. p. 364. C. D., sequentium quoque sententiam duntaxat ibi referens, quam exhibentes versum 289 et tres sequentes, integros, ut Hesiodi, citat idem de LL. IV. p. 718. E. Habet hos etiam Stobaeus I. p. 2. Vnum 287 citant Plutarchus de Aud. poët. p. 24. D. Maxim. Tyr. Diss. XXI. 7. Schol. ad Eurip. Hipp. v. 380. Ed. Matth. Eustath. ad Od. p. 1868, 2.; versus 289—292 Schol. Aphthonii apud Bastium ad Greg. Cor. p. 105. Eosdem solutis numeris referunt Plato in Protagora p. 340. D. Lucianus in Hermot. c. 2. T. I. p. 742., respicit Max. Tyr. Diss. XXXIX. 3. Exstat unus versus 289 apud Plutarchum l. c. F. Max. Tyr. Diss. XXI. 7. Schol. Pind. ad Ol. VI. 15. IX. 161. Schol. Eurip. ad Med. v. 300. Agathiam A. Pal. IX. 653.; priora eius apud Cic. Epp. ad Divv. VI. 19., quo respicit etiam auctor Epigrammatis in A. Pal. IX. 468. Posteriora versûs 290 exhibet Lucianus in Pa-

ras. c. 14. T. II. p. 852. Conf. et citata a Boissonadio ad h. l. Acta SS. Philoromi et Phileae p. 180. Ed. Combefisii.

vs. 287. τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι] κακότητα aliquando notare κακίαν καὶ μοχθηρίαν hoc exemplo illustrant Plutarchus de Aud. poët. l. c. et Eustath. ad Od. l. c. Scilicet apud Homerum plurimis in locis κακότης magis est *infortunium*, *calamitas*. Vid. Il. K. 71. Δ. 382. M. 332. Od. E. 290. 397. 414. Θ. 182. I. 489. K. 129. Π. 364. P. 318. 364. 517. T. 360. Υ. 203. Ψ. 238. Attamen usurpatum de malitia videas Il. I. 366. τίσεσθαι Ἀλέξανδρον κακότητος, estque κακότης in locis Il. B. 368. N. 108. O. 721. Od. Ω. 454. haud dubie ad ignaviam aliudve animi vitium referendum; mihique etiam hic, cum sit ἀρετῇ oppositum, accipiendum similiter de ignavia videtur.

ἰλαδὸν illustrat, locum hunc respiciens, Eustath. ad Il. p. 179.

vs. 289. ἱδρῶτα] notat Heynius ad Il. Δ. 27., apud Homerum nusquam esse ἱδρῶτα, sed ubique ἱδρῶ.

vs. 293 et quatuor seqq., ut Hesiodi, citant Aristoteles Eth. Nicom. I. 4. Andron. Rhod. I. 6. Stobaeus IV. p. 53.; vv. 293, 295 et duo seqq. Aristides T. I. p. 26. (Ed. Iebb.) Clemens Alex. Paedag. III. 8. παραφράζει S. Basilius de leg. libris Gentil. § 1 extr. Versus 293, 295 citat Eustath. ad Il. p. 238. qui loci memor fuit etiam ad Od. p. 1409, 28; unum v. 293. Schol. Ven. ad Il. B. 360., Schol. Sophocl. ad Antig. 718., Ammonius in v. οὗτος; unum v. 295 Schol. Ven. ad Il. N. 733. O. 203. Eustath. ad Il. p. 738, 15. p. 1013, 9. Versum 295 seq. Tzetzes in Epist. med. 60., qui totum locum versibus politicis reddidit Chil. IX. 726 seqq. Sententiam loci expresserunt, laudati a Graevio, Ci-

cero pro Cluent. c. 31. Livius XXII. 29. Zeno autem, testibus Diogene Laërtio VII. 25., Themistio VIII. p. 108., Proclo ad h. l. Hesiodea sic mutare solebat: Κεῖνος μὲν πανάριστος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται· Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.

vs. 294 omittunt Aristides et Clemens ll. cc. Eustath. ad Il. p. 238. Cod. A. Stobaei l. c., delevit Brunckius; sed agnoscunt eum cum Aristotele et Andronico ll. cit. ceteri Stobaei Codd. Scholiastae ad h. l. et Codd. Hesiodi omnes.

vs. 295. μήτ' ἄλλου ἀκούων Ἐν θυμῷ βάλληται i. e. *neque alium audiens bona eius praecepta in animum recondit.* Conf. Clemens et Basilius ll. cc.

vs. 297. ἀχρήϊος, ut Hesiodeum, ex h. l. memorat Eustath. ad Il. p. 217 extr. Latine ad verbum est *ineptus.* Vid. Heyn. ad Il. B. 269. Livius l. c. *qui nec ipse consulere, nec alteri parere sciat, eum extremi ingenii esse.*

vv. 299 seq., ut Hesiodi, citat Cornutus de N. D. p. 211. Versûs 299 principio usum in disputatione Chrysippum tradit Plutarchus de Stoic. repugn. p. 1047. F. Est horum versuum parodia Cratini apud Schol. Aristoph. Eq. 531. Suidam v. Κοννᾶς.

δῖον γένος in v. 299. retulit Proclus cum aliis ad nobilitatem generis ab Orpheo et Calliope ducti. Certe vult poëta, bonis ortum fratrem haud indignum se illo genere praestare. Conf. Anonym. in Crameri Anecd. Oxon. III. p. 193.

vv. 302—306, ut Hesiodi Ἔργων καὶ ἡμέρων, citat Schol. Platonis p. 237. (Heusd.) v. 302, omisso τοι, citat Schol.

Ven. ad Il. Λ. 736., monuitque iam Ruhnkenius, pertinere ad hunc versum etiam Hesychii glossam *σύμφορος λιμός· ὁ συμπίπτων καὶ συνών*. Conf. Th. 193. infra 782. vv. 303 —305, ut huius Carminis, citat Stobaeus XXX. p. 210. E versu autem 304 *κηφήνεσσι κοθούροις εἴκελος ὀργήν* Plato de LL. X. p. 901. A. (et hinc Euseb. Praep. Euang. XII. 52.) Etym. M. p. 524, 42. Zonaras. p. 1227; cum v. 305 et principio sequentis Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1109.

vs. 303. *ὅς κεν ἀεργὸς Ζώῃ κηφήνεσσι κοθ. εἴκ. ὀργ.* Homo *ἀεργὸς* (*κατὰ τὴν*) *ὀργὴν animi impulsu* similis est fucis, qui immunes ipsi operum alienis laboribus pasci volunt. Columella IX. 15. *mellis maturitas*, inquit, *intelligitur, cum animadvertimus, fucos ab apibus expelli et fugari, quod est genus amplioris incrementi simillimum apibus, et, ut ait Virgilius* (IV. G. 167.) ignavum pecus: *nam neque alimenta congerit et aliis inventa consumit.* Conf. Virgil. ibid. v. 244. Phaedr. III. XIII. 2. Mulieres ob ignaviam et luxum similiter cum fucis contulit Hesiodus Th. 594 seqq., cum iisdem autem homines ignavos passim ad Hesiodi exemplum Plato aliique. Vide, quos citat Ruhnkenius ad Timaei Lex. v. *κηφήνεσσι*.

De vocabuli *κόθουρος* origine et significatu parum convenit inter Grammaticos. Plerique tamen repetunt a *κόθω* pro *κεύθω abscondo* (unde *κόθημα ἐπὶ τοῦ αἰδοίου* de parte pudenda atque abscondenda apud Hesych. in v.) et *οὐρὰ cauda*. Iidem igitur *κοθούροις* interpretantur *τοῖς τὸ κέντρον κεκρυμμένον ἔχουσι*. Aliis *κόθουρος* plane est *ἄκεντρος*. Vid. Hesych. in v. et sane apud Aristoph. in Vesp. v. 1153 seq. *κηφῆνες οὐκ ἔχοντες κέντρον* memorantur. Plinius etiam XI. 11. *sunt fuci*, inquit, *sine aculeo velut imperfectae apes.* Mihi autem *κόθουροι κηφῆνες* potius dicti videntur, quod *οὐρὰν* s. postremam et infimam corporis partem fere con-

trahant et quasi abscondere student, unde et vulpem κόθουριν dictam putem (apud Hesych. in v.), quod metuens sibi caudam contrahere atque intra clunes soleat abscondere. Alias vocabuli κόθουρος interpretationes et etymologias vide apud Proclum ad h. l. et Etym. M. l. c.

vs. 306. construe ἔργα δὲ μέτρια φίλ' ἔστω σοὶ κοσμεῖν. Similis constructio apud Homerum Od. P. 15. ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι, ubi Eustathius illud Atticorum esse vult. Ἔργα μέτρια poëtae dicuntur, quae convenienti ratione (conf. v. 694.) modoque et tempore facta. Vide Graevium ad h. l. Κοσμεῖν est *obeundo procurare, instruere*. Sic κοσμεῖν δόρπον est *instruere convivium* Od. H. 13.

vv. 308 seq. cum v. 311 et duobus sequentibus, ut Hesiodi Ἔργων, citat Stobaeus XXIX. p. 198. Versum 310, omissum ab Stobaeo, suspectum inde habuerunt Lanzius et Spohnius; uncinis inclusit Goettlingius. Agnoscunt tamen eum cum Tzetze et Moschopulo Codd. tantum non omnes.

Versum 311 integrum citat Xenophon Mem. I. II. 56. referens, quomodo Socratem, crebro usum illo, calumniati sint accusatores, quasi diceret, nullo opere, ne iniusto quidem, abstinendum, sed omnia facienda esse lucri causa; quae repetens Eustath. ad Il. p. 250. ἀσαφῶς scripsisse Hesiodum statuit. Sed recte animadvertit Lanzius, satis ex toto Hesiodi carmine liquere, quale hîc ἔργον intelligat, recteque illud de omni bono opere interpretatus est ipse Eustath. ad Od. p. 1818, 30., priora versûs citans. Fecit idem scrupulus, ut Schol. Ven. ad Il. Ω. 370. in ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, πλεονάζειν τὸ δεν censeret; Heinsius autem et Clericus pater οὐδὲν non ad ἔργον, sed ad ὄνειδος refer-

rent. At recte iam Plutarchus in Solone p. 79. D. de illo mercaturam faciente ἐν τοῖς τότε χρόνοις καθ' Ἡσίοδον ἔργον οὐδὲν ἦν ὄνειδος, οὐδὲ τεχνὴ διαφορὰν ἔφερε. Citatur principium versûs etiam a Platone in Charmide p. 163. B.

ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος] Alciphron III. 30., nescio an huc respiciens, ἀργὸν δὲ καθίζειν ὄνειδος.

vs. 313. πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ] citat Plutarchus de Aud. poët. p. 24. E., id agens, ut doceat, usum hîc poëtam τῇ ἀρετῇ ἀντὶ δόξης ἢ δυνάμεως ἢ εὐτυχίας ἤ τινος ὁμοίου. Conf., qui eadem in eandem sententiam citat, Eustath. ad Od. p. 1690, 44. Sane vix aliud voluit poëta, quam, qui dives sit, eum censeri inter ἀριστῆας, sive ἐσθλούς.

vs. 314. δαίμονι δ' οἷος ἔησθα τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον] equidem, donec quid melius adferatur, sequar Scholiastas interpretantes: *qualis eras* δαίμονι i. e. *sorte, seu conditione vitae*, (tali homini) *melius est operari.* Pater Hesiodi et Persae, quamvis multa molitus, ut egestatem effugeret, tamen haud magnum moriens reliquisse patrimonium videtur. Itaque huius dimidia parte accepta non sane fuerat ea conditione Perses, ut posset desidem vitam agere, acquisito per hereditatem contentus. Aliquanto plus requirebatur, ut posset se suosque alere. Id igitur insuper acquirendum erat opera ac labore (infra v. 363.), quod neglexit Perses, unde, in egestatem lapsus, fratri molestus exstitit. Δαίμων de fortuna hominis dictum illustrat Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 251. b. Ad Codices, qui nihil hîc variant, adscripta Scholia cum editis super explicatione loci conspirant. Schol. Par. B. δαίμονι· τύχῃ καὶ τάξει et in marg. τῇ τάξει δὲ, οἷος ἄρα εἶ, τὸ ἐργάζεσθαι καλὸν, ἐὰν

οὕτως ἐργάζῃ, ὥστε μὴ ζημιοῦν ἕτερον. Schol. Par. H. *δαίμονι· τῇ δαιμονίᾳ δόσει καὶ τύχῃ δηλαδὴ καὶ τῇ τάξει.* Similiter fere Schol. Par. L. R. X. In glossis Par. Z. *δαίμονι· τῇ τύχῃ* et *οἷος· ὁποῖος*, unde emendanda, quae in Ed. Loesneri exhibetur Augustani Codicis glossa, *οἷος· ὅμοιος*, cum praecedat ibi quoque *δαίμονι· τῇ τύχῃ*. Itaque Graecorum Interpretum nemo, quod sciam, Guyeto praeivit, esse hîc *οἷος* pro *ὅμοιος* positum tradenti. Neque tamen primus sic censuit Guyetus. Namque similiter exposuerat Melanchthon, Latinique Interpretes reddiderant, ligata oratione Valla: *Fac Superis aequandus eas*, alii soluta: *Et Deo similis fueris*. Secuti autem interpretationem hanc recentiorum plerique et recentissime I. H. Vossius. Sed *ἦσθα* est *eras*, non *fueris:* atque, ut fortasse ferendum sit *eras* pro *esses* (vid. Hermannus ad Viger. p. 820.), certe probari nequit *οἷος* pro *ὅμοιος* dictum. Obversabatur Viris Doctis Homericum *δαίμονι ἶσος*, sed quod fere de re longe alia, quam cuius hîc mentio fit, usurpatur. Reponendum adeo hîc *δαίμονι δ' ἶσος* Schaeferus et pro sequente *τὸ* legendum *τῷ* coniecit, quorum et hoc et illud in contextum receperunt Spohnius et Dindorfius. Sed doceri velim, quomodo pro faciliore *ἶσος* in omnes Codd. iam antiquitus venire *οἷος* potuerit. Tum, quod recte animadvertit Hermannus l. c. p. 229. quamvis *δFίσος* (pronunciatum *dwisos*) fortasse defendi possit, certe *τῷ* breve, sequente *Fεργάζεσθαι*, Hesiodeis invehendum non erat. Ob Platonis locum in Cratylo p. 259. et natam hinc Hesychii glossam *δαίμων· δαήμων*, Goettlingius, versum ita distinguens *δαίμονι δ', οἷος ἦσθα, τὸ ἐργάζεσθαι ἄμεινον*, hunc ei sensum tribuit, *quapropter satius est homini prudenti, qualis olim tu fuisti, antequam alienarum rerum cupidus eras* (antequam lite mecum agebas), *laborare atque ita divitias iustas tibi parare.* Sed veram Veterum poëtarum interpretationem quaerenti ne-

scio an etymologiis ex Platonis Cratylo utendum non sit. Certe δαίμων non contractum est e δαήμων, sed derivatum a δαίω. Refutatis Goettlingii et aliorum commentis, Hermannus ipse l. c. hîc legendum censuit: δαίμων δ' οἷος ἔῃς· τῷ ἐργάζεσθαι ἄμεινον i. e. δαίμων τοιός (ἐστιν) οἷος ἔῃς, vel, posita post οἷος distinctione, τοῖος δ' ἔῃς, οἷος δαίμων, quae coniectura magnam utique veri speciem habet, cum θα ex seq. τῷ natum videri possit et optimus ita sit sententiae totius nexus. Verum obstat, quod δαίμονι non spernenda veteris lectionis auctoritate se tuetur.

vv. 317—319, ut Hesiodi ἔργων, citat Stobaeus XXIX. p. 198. Exstat autem versui 317 similis apud Homerum Od. P. 347. Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ προΐκτῃ, vel παρεῖναι, ut est apud Platonem in Lachete p. 201. B. Sunt item in Il. Ω. 44 seqq. Hesiodeis in v. 318 similia haecce: οὐδέ οἱ αἰδὼς Γίνεται, ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησι, unde versum αἰδὼς, ἥ τ' ἄνδρας κ. τ. λ., ut Homericum, citat Plutarchus de Vitioso Pud. p. 529. D., qui, teste Proclo ad h. l., utrumque versum ex Homero translatum huc putabat. Movit hoc Brunckium, ut utrumque versum deleret. Spohnius autem, ut hos, ita v. 319 obelo notavit. Contra Heynius ad Il. l. c. in Homerum versus ex Hesiodo translatos statuit. Sed quidni potest alter ab altero sumsisse, vel uterque ab antiquiore, quae iam pene proverbialia facta essent? Hesiodo versum 317 vindicat Schol. ad Platonis Lachetem in MSS. Clarkii. Memorat haec, ut Hesiodea, etiam Eustath. ad Il. p. 1338, 26., ad Od. p. 1823, 31. Certum quidem est, versum duntaxat 317 optime convenire in hunc locum sensu hoc, quem bene vidit Clericus pater, *non oportere pauperem opus refugere propter pudorem, quasi inhonestum ei sit operari.* Scilicet, ut e versu 311 colligas, Perses ὄνειδος sibi duxerat, opus

aliquod rusticum obeuntem conspici. Ceterum in v. 317 non est cum Goettlingio et aliis *οὐκ ἀγαθὴ* pro epitheto *τῆς αἰδοῦς* habendum, quasi *δίσσας αἰδοῦς* noverit Hesiodus, alterum bonum Pudorem, alterum malum; sed iungendum est cum Spohnio *οὐκ ἀγαθὴ κομίζει non bene, non, ut ei prosit.* In hunc fere sensum Hermanno placuit *κομίζειν.*

vs. 319. *αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίῃ, θάρσος δὲ πρὸς ὄλβῳ* respicit Eustath. ad Od. p. 1455, 5.; bene reddidit Spohnius: *Pudor apud egestatem est* (i. e. egestatem comitatur) *bono autem animo est, qui dives.* Quod si *ἀνολβίην* et *ὄλβον* legas, ut habet Tzetzes etiam in Epist. ined. 9. (qui conferendus item Chil. VI. 744 seqq.) reddendum *Pudor quidem ad paupertatem, audentia autem ducit ad divitias.*

vs. 320 citat, ut Hesiodi *ἔργων*, Stobaeus X. p. 127. *χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτὰ* male reddidit Graevius *opes vero non rapiendae,* quod lingua non fert; immo cum Scholiastis ad *ἁρπακτὰ* ex sequentibus assumendum *ἀμείνω* vel *ἀγαθά ἐστιν.* Pertinet autem dictum ad fratrem, qui, corruptis iudicibus, multa sibi comparaverat *ἁρπάζων.* Vide supra v. 38. Sed, cum varia sint genera *ἁρπαγῆς*, hinc v. 321. subiicit poëta: *εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ κ. τ. λ.* quod cum fugeret Heynium, in Exc. II. ad Il. E. legendum statuit: *εἰ γάρ τίς κεν χερσὶ.*

vs. 322. *ἢ ὅγ' ἀπὸ γλώσσης λῄσσεται vel, si quis quaestum faciat lingua* sc. per falsum testimonium aut periurium. Notetur *λῄσσεται* futurum indicativi copulatum cum aoristo coniunctivi, ut apud Homer. Il. Π. 650.

vs. 324. *αἰδῶ δέ τ' ἀναιδείη κατοπάζῃ* in Glossis fere, ut ab Scholiastis explicatur; in Gl. Par. D. *τὴν αἰδῶ δὲ ἡ*

ἀναίδεια κατόπιν αὐτῆς καταβάλλει, in Gl. Par. G. τὴν αἰδῶ δὲ ἡ ἀναίδεια κατόπιν αὐτῆς ποιεῖ καὶ ἀποκρύπτει, in Gl. Par. S. κατόπιν αὐτῆς πλέον ἀποκρύπτει. Sed in Gl. Par. M. est κατοπαζεῖ· ἀκολουθεῖ. Citata iam a Guyeto Hesychii Glossa κατοπάζων· διώκων, quo pertineat, incertum est. Certe ad Hesiodum non pertinet, ut neque ad Homerum, qui κατοπάζειν ignorat, simplex autem ὀπάζειν crebro usurpat, tum pro *sequi iubere*, *comitem dare* et hinc universe pro *dare*, *praebere*, tum significatione illa *persequendi*, qua Guyetus aliique antiquiorum Interpretum nonnulli etiam hîc κατοπάζειν accipiendum censuerunt. Vertit quidem Valla haud male *iacet* (pudor) *post terga relictus*. Sed alii ante Graevium Latini Interpretes omnes reddiderunt: *pudorem vero impudentia expulerit*. Primus Graevius secundum Proclum recte vertit: *pudorem vero impudentia vicerit*.

Versûs 325 principium ob μαύρουσι citat Schol. Pind. ad Isthm. IV. 81. Referenda quoque huc glossa Zonarae p. 1337. μαύρουσιν· ἀφανίζουσι. Verbo aliquoties usus est Aeschylus. Vid. Blomfield in Glossario ad VII. ad Th. 47.

vv. 326—387 bene quidem Spohnius »*accuratius persequitur, quid sit iustum et probum, quid contra improbum. Docet, quid Perses facere debeat, ut iuste, probe et prudenter vivat, quidve fugere.*" Neque tamen poëta in his solum spectavit Persen, ad quem nonnulla ne pertinere quidem possunt, ut, quod memoratur v. 331 seq., peccatum violantis contumelia patrem senem: nec videtur mihi in v. 329 seq. Hesiodus notare fratrem voluisse, ut visus est Hermanno. Sed puto, eum carmine hoc, quod in plurium pervenire notitiam volebat, plures etiam deterrere ab omni malo atque iniusto facinore voluisse. Ad Persen inprimis

spectant, quae leguntur inde a v. 336 de cultu Diis tribuendo, ut propitii colentis rem augeant (vv. 336—341.); de convictu cum amicis et vicinis commodoque, quod e bono vicino capiatur (vv. 342—348, 353.); de accepto mutuo liberaliter reddendo, non, qui dederit, eum lucri gratia fraudando (vv. 349—352.); de exercenda non sine fructu liberalitate (vv. 354 seq.); de servanda ab alienis bonis vel minimis abstinentia (vv. 356—362.); de prudenti ratione propria augendi, curando, ut partis semper adiiciatur aliquid, sintque in promptu semper domi necessaria ad victum (vv. 363—367.); de convenienti parsimonia (vv. 368 seq.); de cautione in transigendis rebus, vel cum amico et fratre adhibenda (vv. 371 seq.); de periculo, quod nimis vel fidendo vel diffidendo quis incurrat (v. 372.); de non aurem praebendo, fidemve habendo meretrici (vv. 373—375.); de percipiendo e natis liberis vel uno vel pluribus commodo (vv. 376—380.); quae praecepta omnia sunt oeconomica arctoque inter se vinculo connexa.

vv. 329 seq. iungit Spohnius *ὅς τε κρυπταδίης εὐνῆς παρακαίρια ῥέζων κασιγνήτοιο ἑοῦ ἀνὰ δέμνια βαίνῃ*; Hermannus autem *ὅς βαίνει ἀνὰ δέμνια κρυπταδίης εὐνῆς ἀλόχου κασιγνήτοιο ἑοῦ.* Malim equidem ad *κρυπταδίης εὐνῆς* vel cum Tzetze *διὰ*, vel cum Goettlingio *ἕνεκα* intelligere, certe genitivum hunc eiusdem generis habere atque illum in Sc. 406. *μαχέσθην Αἰγὸς ὀρεσσινόμου.*

παρακαίρια ῥέζων, ut Hesiodeum, citat Etym. M. p. 652, 3.

vs. 330 item apud Etym. M. p. 65, 7., ut Hesiodi, citatur. Iunge cum Spohnio *ὅς τε ὀρφανά τευ* (*τινὸς*) *τέκνα ἀλιταίνεται.*

vs. 333. *τῷ δή τοι* (vel *δ' ἤτοι*) *Ζεὺς αὐτὸς ἀγαίεται*

i. e. *νεμεσᾷ*, ut Proclus explicat, quo sensu participium huius verbi, sed cum acc. usurpavit etiam Homerus Od. Y. 16. *ἀγαιομένου κακὰ ἔργα.* Gl. Par. C. ad h. l. *ἀγαίεται· νεμεσσᾷ, μέμφεται, ὀργίζεται, φθονεῖ, θαυμάζει*: Gl. Vat. *βδελύττεται, μέμφεται*: Gl. Par. S. *ἀγανακτεῖ· μισεῖ.* Est autem *ἀγαίεσθαι* proprie *cum admiratione videre*, hinc *invidere*, denique *aegre ferre*, *irasci*. Conf. Eustath. ad Od. l. c. p. 1363, 9. ad Od. Ω. p. 1501, 1. Valcken. ad Herod. VI. 61. Ceterum *τῷ* refer non modo ad proxime, sed etiam ad superius memoratos inde a v. 327.

vs. 336 a Socrate frequenter usurpatum citat, ut Hesiodi, Xenophon Mem. I. III. 3.

καδδύναμιν δ' ἔρδειν] frequentem hunc infinitivorum usum Hesiodo proprium indicat Eustath. ad Il. p. 789, 41 seq.

. vv. 338 seq. seriore interpolatione invectos, cum sequatur v. 340. *ὥς κέ τοι ἵλαον κ. τ. λ.*, manifestum esse ait Heyn. ad Il. A. 583. Mihi non tam manifestum id videtur. Fratri nihil omittendum poëta censuit, quo placarentur Divi, itaque adolendum iis femora *καδδύναμιν pro facultatum modo*, alias autem libationem iis suffitumque faciendum, idque tum mane, tum vesperi, omnia haec, ut facienti propitius fieret Deorum animus. Itaque non incommode hîc repetita mentio *τοῦ ἱλάσκεσθαι.*

θυέεσσι male ab Interpretibus redditum *hostiis*. Memorantur tres diversae Deos colendi rationes, per victimarum femora, per libationes, per thuris suffitum. Conf. Heyn. ad Il. Z. 270., ubi quodammodo immemor fuit eorum, quae supra scripserat. Dicitur similiter apud Homer. Il. I. 495 seq. flectendos esse Deos *θυέεσσι, λοιβῇ, κνίσσῃ.*

vs. 341 vereri se dicit Goettlingius, ne traiciendus sit post v. 301; ineptissimum enim hîc videri. Mihi contra aptissimus hîc videtur, cum hîc vel maxime inculcandum esset, quod passim inculcatum vult Hesiodus, res hominum tam prosperas quam adversas in Deorum esse potestate. Conf. infra v. 379. 465. 474.

vs. 342 integrum, ut Hesiodi, citat Plutarchus de Vitios. Pud. p. 530., principium eius idem Conv. Quaestt. VII. VI. 2. p. 707. C., posteriora Schol. V. ad Il. O. 82. apud Heyn. T. VII. p. 775. Conf. etiam, Hesiodea haec respiciens, Eustath. ad Il. p. 778, 14.

vs. 343 citat Athenaeus V. p. 186 f. (v. c. 3. Schweigh.), qui poëtae praeceptum ὡς ἀληθῶς ἀροτικῆς εἶναι ἀναισθησίας dicit, rem ex sui temporis et urbium moribus diiudicans. Respicit haec et sequentia etiam Eustath. ad Od. p. 1434, 35.

vs. 344. εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγκώμιον ἄλλο γένηται bene reddidit Spohnius: *si quid secus tibi acciderit in eo, quo versaris, vico.* χρῆμ' ἄλλο est res subita, inexspectata, quae alias evenire non solet. Citat versum Steph. Byz. v. κώμη.

vs. 345 citat integrum Eustath. ad Od. p. 1751, 20. et ἄζωστοι κίον hinc p. 1490, 29., ubi esse hos σπουδαίους βοηθοὺς dicit. Conf. Casaub. ad Sueton. Aug. c. 24. Exstat principium versûs etiam apud Schol. Ven. ad Il. Σ. 392.

vv. 346 seq. citat Stobaeus II. p. 30.; unum v. 346 Schol. Pind. ad Nem. VII. 127. Dixerat similiter Alcman μέγα γείτονι γείτων sc. ἀγαθόν. Vid. Schol. Ven. ad Il. X. 305. Itaque Themistocles, teste Plutarcho Apophth. Regg.

et Impp. p. 185. E. et hinc Proclo ad h. l., *χωρίον πωλῶν ἐκέλευε κηρύττειν, ὅτι καὶ γείτονα χρηστὸν ἔχει.* De boni vicini commodo egerunt etiam Cato de R. R. c. 4. Columella I. 3. Conf. et L. 35. D. de Contrah. emtione.

vs. 347. *τιμῆς* de re pretiosa accipit cum Guyeto Hermannus. Dubito equidem cum Goettlingio, an recte; cum *τιμὴ* apud Epicos non positum inveniatur eo sensu. Neque est, ut offendat hîc *τιμῆς* sensu positum vulgari, cum sit boni vicini colere et officiis prosequi vicinum.

vs. 348. *οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γ. κ. εἴη*] Heraclides Ponticus de Re publ. Cumaeorum in Thes. Gr. Antiq. Gronovii T. VI. p. 1828. *ἔθος ἦν αὐτοῖς εἰς τὰ κλοπιμαῖα συμβάλλεσθαι τοὺς γείτονας, διὸ καὶ ὀλίγα ἀπόλλυνται· πάντες γὰρ ὁμοίως ἐτήρουν· καὶ Ἡσίοδος ἐντεῦθεν δοκεῖ λέγειν· Οὐδ' ἂν βοῦς κ. τ. λ.* Erat enim Hesiodus origine Cumaeus. Citant hunc versum etiam Plutarchus de Aud. poët. p. 34. E. Aelianus V. H. IX. 28.

vs. 349. Ammonius in v. *μετρεῖσθαι ἔλεγον οἱ παλαιοὶ μέτρῳ λαμβάνειν πυρὸν, ἤ τι τοιοῦτον, ἐν δάνει, ἵνα ἀποδῷ· Ἡσίοδος· εὖ μὲν μετρεῖσθαι κ. τ. λ.* Citat versum etiam Schol. Aristoph. ad Acharn. 1020. et cum principio sequentis Eustath. ad Od. p. 1729, 37.

Versu 350 usus est Cic. ad Att. XIII. 12. Reddidit idem de Off. I. 12. *ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, modo possis, iubet reddere Hesiodus.* Conf. et in Bruto c. 4. Respiciunt versum etiam Lucianus Imagg. c. 12. T. II. p. 470. Alciphron I. 24. Synesius p. 264. A.

αἴκε δύνηαι] itaque illa aetate nondum, ut debitum, exigi

poterant usurae, neque Hesiodeum *μετρεῖσθαι* prorsus idem est ac recentiorum *δανείζεσθαι*.

vs. 351. *ἄρκιον εὕρῃς quod satis sit* ad subveniendum egestati tuae.

vs. 352, ut Hesiodi, citant Artemidorus IV. 61. Stobaeus X. p. 127. Puto autem hoc praeceptum cohaerere cum superiore, ut sit: *nolito autem lucrum quaerere e mutuo.*

vs. 353 et duo seqq., Proclo teste, spurios censuit Plutarchus, ratus eum, qui diceret, *ὅτι τοῖς ἀγαθοῖς τὸ διδόναι προσήκει καὶ ὡς χαίρουσι διδόντες* non potuisse praecipere *καὶ διδόναι τῷ διδόντι, καὶ μὴ διδόναι τῷ μὴ διδόντι.* Sed quidni potuit Hesiodus, quamvis liberalitatem probans, eam non extendi pariter ad omnes voluisse, verum exhiberi tantum iis, qui ipsi quoque liberali sint ingenio? Conf. quae contra Plutarchum disputat Proclus ad vv. 354, 5. Plutarcho in delendis versibus obsecutus est Brunckius.

καὶ τῷ προσίοντι προσεῖναι, ut Hesiodi, citant Apollon. in Lex. v. *εἶναι* et Schol. Ambros. ad Od. A. 406., ubi volunt *εἶναι* esse h. l. pro *ἰέναι*, quemadmodum accipiunt etiam Tzetzes ad h. l. et glossae Parr. D. M.; sed nihil impedit, quominus *προσεῖναι* hîc simpliciter accipiatur *adesse*, non illo, quo Ruhnkenius voluit, opitulandi sensu, sed vulgari: *apud eum, qui te invisit, fac invicem adsis.* Bene iam Graevius »qui eo, inquit, ingenio sunt, ut mutuis amicitiae et consuetudinis commerciis delectentur, cum iis cole amicitiam." *Εἶναι* pro *ἰέναι* Veteres usurpasse nullo alio exemplo demonstrari potest, minime quidem illo, quo usus est Goettlingius Aristoph. Eq. v. 761. (748.) *ἀλλ' εἰς τὸ πρόσθε χρὴ παρεῖναι'ς τὴν Πύκνα.*

vs. 354. Spurius visus Gernhardo in Lectionn. Apollon. p. 143. ob spondeum quinti pedis separatum. Equidem quamvis minus suaves numeros in rudioris aevi poëta ac proverbiali dicto facile ferendos puto. Conf. Muetzell. de Em. Theog. p. 40. Citat versum Draco Straton. p. 156, 17., qui *δόμεν* hîc positum esse vult pro *δῶμεν*, ut apud Homerum Il. A. 363. *εἴδομεν* pro *εἴδωμεν*. Rectius, qui versum integrum, Suidas v. *δόμεν*, qui principium eius citat Eustath. ad Il. p. 775, 14. *δόμεναι* s. *δοῦναι* explicant.

vs. 355. *δώτῃ* i. e. *τῷ μεταδοτικῷ*, ut bene exponit versum citans Etym. M. p. 293, 55. Memorantur *δώτης* et *ἀδώτης*, ut Hesiodea, ex hoc versu ab Eustathio ad Il. p. 1131, 17.

vv. 356—360, ut Hesiodi *ἔργων*, citat Stobaeus X. p. 127.; unum v. 356 Suidas v. *δὼς*, Etym. M. 293, 48. Ioannes Alex. *τοπικ. παραγγ.* p. 8. 2. Ed. Dind.

ἅρπαξ est hîc pro *ἁρπαγὴ*, ut cum Proclo explicant glossae.

In v. 357 seqq. Heyn. ad Il. P. 112. Hesiodea fortasse sic legenda scribit: *Ὧι μὲν γάρ κεν ἀνὴρ ἐθέλων κἂν οὐ μέγα δοίη, Χαίρει τῷ δώρῳ καὶ τέρπεται ὃν κατὰ θυμόν· Ὧι δέ κεν ἄλλος ἕληται ἀναιδείηφι πιθήσας, Καί τε σμικρὸν ἐὸν τό τ' ἐπάχνωσεν φίλον ἦτορ.* Sed Codd. ei coniecturae nihil favent et refragatur Plutarchus apud Proclum ad v. 353, qui dantem, non accipientem, gaudere dono dicit. Spohnius locum sic accepit: *ὅς κ' ἐθέλων (δώῃ), κἂν μέγα δώῃ, χαίρει· ὃς δέ κεν ἕληται, οὗτος ἐλύπησεν ἐκεῖνον, ἀφ' οὗ ἔλαβε, καίπερ μικρόν τι καὶ ὀλίγον λαβών.* Itaque ille non, ut Hermanno visum l. c. p. 232. cum Graevio, Lanzio, aliis *ἐπάχνωσεν φίλον ἦτορ* ad auferentis conscien-

tiam retulit, sed ad natum in amici pectore frigus ex auferentis familiaris impudentia. Vir Doctus in notis penes me MSS. φίλον ἦτορ etiam *amici cor* interpretatur, neque aliter olim iam acceperant tum Hesiodi Scholiastae, tum Eustath. ad Il. p. 1148, 59., et sane, quamvis frequens sit φίλος pro *suus*, hoc loco tamen quominus eo sensu φίλος accipiatur, obstare videtur antecedens ἀναιδείηφι πιθήσας. Quem enim tale quid facere non pudeat, eius pectus facti conscientia sic affici, vix credibile est.

vs. 360 integrum refert Suidas v. ἐπάχνωσεν. Posteriora eius citant Etym. M. p. 651, 4. Eustath. ad Il. p. 1148, 59.

vv. 361 seq. citant, ut Hesiodi, Plutarchus de Puer. Ed. p. 9. E., quem vide etiam p. 76. C., unum v. 361. Plato in Cratylo p. 428. A., quo respexit etiam S. Basilius de leg. libris gent. § 8. (Opp. T. II. p. 184. B.). Priora versûs 362, ut Hesiodea, laudantur a Thoma Magistro v. θαμὰ.

vv. 363—367. Quod occupans obiectionem, »at parvum est, quod amico surripui," in vv. 361 seq. dixit poëta, si parvo saepius parvum addatur, ita cito magnum quid existere, valet idem in omni re domestica. Itaque superioribus hactenus affine est, quod iam subiicitur ab Hesiodo; qui prius quaesitis semper aliquid addat, eum vitaturum esse famem, curandumque esse, ut semper domi sit, unde vivas. Hoc ei varie dicitur ἐὸν, ἐν οἴκῳ κατακείμενον, οἴκοι ἐὸν, παρεόν. Versûs 363 posteriora citat Grammaticus in Bachmanni Anecd. I. 281.

Versum 365 Goettlingius, qui versus singulos 363, 4, 5. singula esse putat proverbia per se spectanda, de feminis accipit, quibus melius sit intus manere, ne foris laedantur;

quem refellens, Hermannus l. c. p. 233. ipse accipit de patre familias, cui melius sit domi manere, ut suas ibi res curet, quam foris vagari. Mihi videntur omnia haec cohaerere, ut dixi, visumque sic etiam Scholiastis, item Graevio, Lanzio, I. H. Vossio. βλαβερὸν Graevius exponit *damno, periculis et variis casibus obnoxium*, recte quidem, si de frugibus, quas in agro quis habeat, accipiendum sit, ut voluit etiam Proclus; sed veri quoque speciem habet interpretatio Tzetzae: χαλεπὸν τὸ μὴ ἀποκεῖσθαι ταῦτα ἐν τῷ οἴκῳ, ἀλλ' ἐκ τῶν θύραθε καὶ ἔξω ταῦτα ὠνεῖσθαι. Conf. infra v. 407. Ita vero βλαβερὸν Latine erit *noxium*. Legitur versus 365 etiam in H. Hom. in Merc. 36., eo, ut videtur, hinc translatus.

vs. 367. χρηΐζειν ἀπεόντος citatur in Hort. Adon. Ald. p. 261. a.

vs. 368 cum principio sequentis citatur in Geopon. VII. 6., ubi praeceptum inde repetitur, quod ad osculum dolii vinum, ut aëri propius, ita infirmius est; ad fundum autem, ut pote faeci proximum, cito acescit. Conf. qui similia habet Plutarchus Conv. Quaest. VII. III. § 1. 2., idem hunc locum respiciens ibid. VI. 7. pr., ut respicit etiam Macrob. Saturn. VII. 12., add. Cramer. Anecd. Ox. III. p. 214. nec non Proclus ad h. l., ubi quaedam de festo Πιθοιγίων refert lectu non indigna. Sed dubitandum non est, quin sub hoc praecepto de vini dolio lateat amplius aliquid, bene sic expositum a Mitscherlichio: »in magna opulentia licet utique lautius paulo ac sumtuosius vivere; verum ubi illa aliquantum defecit, coërcendi sunt nimii sumtus, ne copia ista nimis atteratur et ad nihilum redigatur; sero autem hoc facies, si opes pene dissipatae sunt: itaque tum parsimoniae nullus amplius locus est.” Fuit et apud La-

tinos proverbium *sera in fundo parsimonia*. Conf. Erasmus in Adag. Tit. *sera poenitentia*. Citat v. 368 etiam Plutarchus in Galba c. 16., respicit quoque Eustath. ad Il. p. 1363, 26 seq.

vv. 370 seq., Proclo teste ad v. 354, iam Veterum quidam Hesiodo abiudicarunt, forsitan ut illiberales; sed ἐγκρίνει (*accenset Hesiodeis*) Plutarchus. Apud hunc autem in Theseo c. 2. eos Pittheo, avo Thesei materno, attribuere Aristotelem videas, unde tamen non sequitur, quod Goettlingius vult, versum hîc prorsus seiungendum ab sequente. Nam potuit eum Hesiodus ex summa antiquitate petitum pro consilii ratione in suum usum convertere, ut convertisse visus est Plutarcho l. c. Qui versum memorant, partim Aristoteles Eth. Nicom. IX. 1., integrum Andron. Rhod. IX. 2., Protagoram accepisse docent hoc modo: μισθὸς εἰρημένος *merces, de qua antea convenit*, ἄρκιος ἔστω ἀνδρὶ φίλῳ, in quem sensum accepit etiam Goettlingius. Cum Buttmanno autem Lexil. II. p. 36. Hermannus l. c. esse vult: *Constituta viro amico merces prompte solvatur.* Mihi respicienti sequentia magis construendum videtur: μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ ἔστω εἰρημένος hoc sensu: quamvis cum amico viro tibi res sit, tamen, si illius opera uti velis, prius de mercede paciscere, ut, postea μισθὸν εἰρημένον accipiens, nullam de te querendi occasionem habeat amicitiae nocituram. Conf. Plutarchus loco mox citando.

μισθὸς ἄρκιος est *merces sufficiens*, *qua quis contentus sit.* Vid. Il. K. 304. Od. Σ. 357. Ita βίος ἄρκιος est *victus sufficiens* infra v. 501, 577.

vs. 371. καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι] Plutarchus de Vitioso Pud. p. 533. E. ὁ Περσαῖος, ἀργύριον τινὶ τῶν γνωρίμων δανείζων, δι' ἀγορᾶς καὶ τραπέζης ἐποιεῖτο

τὸ συμβόλαιον, μεμνημένος δηλονότι τοῦ Ἡσιόδου λέγοντος· Καί τε κασιγνήτῳ κ. τ. λ. Θαυμασάντος δέ ἐκείνου καὶ εἰπόντος· Οὕτως, ὦ Περσαῖε, νομικῶς; Ναὶ, εἶπεν, ἵνα φιλικῶς ἀπολάβω, καὶ μὴ νομικῶς ἀπαιτήσω.

γελάσας sic accipiendum videtur, ut in re cum fratre transigenda ita testem adhiberi iubeat poëta, ut tamen quasi ab iocante fiat antestatio, quo minus offensae res habeat.

vs. 372. πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς κ. τ. λ.] in hanc sententiam Phaedrus III. X. pr. *periculosum est credere et non credere*. Hesiodus enim hîc πίστεις *credulitatem*, seu fidem temere habitam, dixit, cum alias πίστις magis *fidelitatem* significet. Conf. Gatak. de N. Instrum. Stylo c. 9.

vv. 373 seqq. vult Hesiodus, fratrem vel maxime ἀπιστεῖν mulieri, qualem quidem describit, meretricio ornatu ac moribus. Πυγοστόλος enim, quod vocabulum, ut Hesiodeum, memorat Pollux II. 84., non est, ut Suidae in v., Eustathio, Hesiodea haec respicienti ad Il. p. 380. pr. et, teste Proclo ad h. l., aliis quibusdam visum, προαγωγὸς, μαστρωπὸς, μαυλίστρια *lena;* sed, ut alii, teste item Proclo, acceperunt ἑταιρὶς ἡ περὶ τὴν πύγην στολιζομένη, τουτέστι κοσμοῦσα ἐκεῖνα τὰ μέρη πανούργως τοῖς ἱματίοις (Tzetzes ζωνίοις καὶ λοιποῖς). In hanc sententiam etiam Glossae Par. C. D. G. ἐπὶ πορνείᾳ στολιζομένη, Gl. Par. P. ἑαυτὴν ἐπὶ τῇ πορνείᾳ κοσμοῦσα, Gl. Vat. κεκαλλωπισμένη κατὰ πύγην. Versum 373 et seq., ut Hesiodi Ἔργων, citant Stobaeus LXXXIII. (LXXXV. Gaisf.) p. 483., sine auctoris nomine Clem. Alex. Protr. p. 91. Περὶ τῶν πυγοστόλων θυγατέρων Παιόνων disputans, Tzetzes Chil. X. 216 seqq. etiam versum 373, ut Hesiodi monitum ad fratrem, citat, idem quoque ad πυγοστόλος h. l. respiciens in Epist. ined.

67. Pro sua in me benevolentia Boissonadius indicium mihi fecit loci in Georgii Pachymeris Declamatione inedita, ubi pater inducitur, filio praecipiens: κρείττων ἡδονῶν ἴσθι· μὴ περὶ κάλλη πτοοῦ γυναικῶν, μηδέ σε γυνὴ πυγοστόλος ἐξαπατάτω, ὁ ψωμισθεὶς τὴν σοφίαν παρὰ Μουσῶν Ἀσκραῖος φησίν· ubi ψωμισθεὶς pertinet ad Th. v. 30 seq. ad quos vide quae notavimus in Commentario.

vs. 374. αἱμύλα κωτίλλουσα i. e. *blando sermone decipiens*. Supra v. 78. coniungi vidimus Ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους. Est autem κωτίλλειν verbum per onomatopoeïam formatum, affine Gallico *gazouiller*, habetque item *blande garriendi* significationem, unde garrula hirundo dicta Anacreonti et Simonidi κωτίλη. Vide Valcken. ad Theocr. Adoniaz. v. 97. De blandis sermonibus Phocylides apud Athen. X. p. 428. Χρὴ δ' ἐν συμποσίῳ κυλίκων περινισσομενάων Ἡδέα κωτίλλοντα καθήμενον οἰνοποτάζειν. Babrius, fab. XCV. 87 seq. et apud Suidam v. κωτίλλω· τοιαῦτα κωτίλλουσα τὴν ἀχαιΐνην Ἔπεισεν ἐλθεῖν δὶς τὸν αὐτὸν ἐς ᾅδην. Hesychius κωτίλλουσα exponens κολακεύουσα hunc Nostri locum respexisse potest. Conferantur, qui non dubie illum respexerunt, Etym. M. p. 25. 39., Eustath. ad Il. p. 380., ad Od. p. 1818, 3 seq.

Versum 375 expunxit, Proclo teste, Plutarchus, haud dubie, quia nimis ei visus illiberalis. Ipse quoque dubito, an Hesiodus, quamvis minus in mulieres benignus, sic de omni muliebri sexu pronunciatum voluerit. Sed nescio, an restringendum hoc ad supra descripti generis mulierem, ut Stobaeus, versum hunc seorsim memorans, LXXI. (LXXIII. Gaisf.) p. 434. non recte illum a superioribus, alibi ab ipso memoratis, seiunxerit. Priora versûs, ut Hesiodea, citat Schol. Eurip. Med. 426.; posteriora exstant apud Eustath.

ad Il. p. 781, 12. Φιλήτῃσι h. l. illustrat idem ad Il. p. 194. ad Od. p. 1889. pr. Conf. et, quem sub contextu citavimus, Philemon p. 184.

vv. 376—380 agunt de liberis uno vel pluribus, quatenus prosint ad tuendam vel augendam rem familiarem. Plutarchus de Frat. Amore c. 6. p. 480 F. voluisse putat Hesiodum, suae cum fratre litis memorem, unum modo heredem esse debere patrimonii, non plures. Sed recte observat Proclus λέξιν εὐχομένου εἶναι καὶ οὐ συμβουλεύοντος, obstantque Plutarchi sententiae sequentia h. l. Est igitur, ut potius hunc totius loci sensum esse statuamus: *Vnus utique tibi filius obtingat, qui paternam domum tueatur* (εἴη (ὥστε) φερβέμεν πατρ. οἶκον). *Melius autem fuerit, si senex moriens tum et alterum in aedibus filium relinquas; quamquam non malum etiam, si plures habeas. Plures enim plus inferunt* et πλείων πλεόνων ἐστὶ μελέτη *cura rei familiaris.* Scilicet coniuncta patris adhuc validi et unius filii opera sufficere poterat tuendae rei familiari: sed si, ut optandum erat, pater ad senectutem perveniebat, poterat hic, minus iam ipse validus, utilem operam opemque experiri etiam alterius, quem haberet, filii. Poterat etiam, si plures haberet filios, per coniunctam omnium eorum curam atque operam sic augeri patrimonium, ut, patre mortuo divisione hereditatis facta, quisque sufficientem sibi portionem acciperent. Ceterum e Tzetze colligas, etiam Aristarchi aliquod de h. l. exstitisse iudicium.

μουνογενὴς καθ' Ἡσίοδον ex hoc loco Pollux III. 19., totum fere versum, ut Hesiodi, citat Eustath. ad Il. p. 649, 32.

vs. 377. φερβέμεν Tzetzen et Heinsium miror exponentes τρέφεσθαι. Rectius Moschopulus exposuit διοικεῖν et

sic Glossae Par. G. P. V. Aug. Conf. Eurip. in Hipp. 75. Callim. H. in Cer. 137 seq.

vv. 381 seq. fit transitus ad praeçepta de Operibus. Additos postea ad faciendum transitum temere, ut puto, statuit Goettlingius. Proclus quidem tum ipse haec agnovit, tum nullam antiquiorum de iis dubitationem memorat.

vv. 383—386 respicit Basilius loco, quem ex Scholiis ineditis ad Gregor. Nazianz. Or. XXXIV. p. 560. protulit Boissonadius ad h. l. Versum 383 cum seq. citant Maximus Tyrius Diss. XXX. 6. p. 363., Athenaeus XI. p. 489. F. Dio Chrysost. Or. II. p. 75. Ed. Reisk., Schol. Ven. ad Il. Σ. 486., Geminus Elem. Astron. c. 14.; solum Probus ad Virgil. Ecl. III. 40., Greg. Cor. de Dial. Aeol. § 2.; priora huius Eustath. ad Il. p. 1155, 49., qui locum hunc respicit etiam p. 1351, 36.

Secundum Hesiodea haec Aratus Ph. 264 seqq., de Pleiadibus: *Αἱ μὲν ὅμως ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες, ἀλλ᾽ ὀνομασταὶ Ἦρι καὶ ἑσπέριαι, Ζεὺς δ᾽ αἴτιος, εἱλίσσονται, Ὅς σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ᾽ ἀρότοιο*, ad quae Scholiastes, ipse quoque Hesiodi memor, *ἐπιτελλομένων γὰρ τοῦ ἀμήτου ἄρχεσθαι χρή· δυομένων δὲ, τοῦ ἀρότου.* Notat autem Theon ad Aratum l. c., oriri Pleiades mane die secundo et quinquagesimo post aequinoctium vernum, ut proinde Graecis aestatis et messis initium inciderit in medium ferme mensem Maium. Consentiunt Scholiastes Aeschyli ad Prom. v. 458. Proclus ad h. l. et Latinorum, quamvis in die definiendo aliquantulum differant, Ovidius V. Fast. 599 seqq. Plinius XVIII. 66, 1. 69, 2, 3. Columella IX. 14, 4. Conf. Niclas. ad Geopon. I. I. 8. Versûs autem hîc 384 extrema respiciens, Plinius XVIII. 24. S. 56. *Hesio-*

dus, inquit, *unum tempus serendi tradidit a Vergiliarum occasu. Scribebat enim in Boeotia Helladis, ubi ita seri* (c. VII. S. 10.) *diximus*. Scilicet Plinius cum Theophrasto H. P. VIII. 1. et aliis, ut Virgilio I. G. 222 seq., ἄροτον h. l. sementem intellexit. Dubitat Proclus, sitne ἄροτος h. l. intelligendus ὁ νεατὸς, mense Iunio fieri solitus (infra v. 462.), quo tempore Sol a Tauro in Geminos transit et occultantur Pleiades, an vero σπόρος sub occasum Pleiadum, sole in Scorpium transeunte. Sed haud dubie significatur aratio sementem proxime praecedens, fieri solita occidentibus sub adventum hiemis Vergiliis; de qua citatus a Lanzio Philo de Opificio mundi: δυομένων μὲν Πλειάδων αὔλακες ἀνατέμνονται πρὸς σπόρον. Conf. infra v. 448 seqq. Vergiliarum autem occasum, hiemis initium, in III. Idus Novembr. incidere ait Plinius II. 47. S. 47. XVIII. 25. S. 60. Similiter fere Theon ad Aratum l. c. occidere dicens Pleiadas altero et quinquagesimo die post autumnale solstitium. Spatium unius et quinquaginta dierum esse volunt Geoponici I. 1. 8. II. 14. 3., aliquanto maius Proclus ad h. l., occasum illum incidere notans in diem decimum tertium Decembris; at multo minus spatium Columella II. 8. 1. XI. 2. 77. Conf. Schol. Aeschyli l. c.

vs. 385 cum principio sequentis versûs citat Ioannes Philoponus ad Aristot. Meteor. p. 95. Maxime hîc ad rem sunt, quae habet Plinius XVIII. c. 26. S. 66. *III. Nonas Apriles in Attica Vergiliae vesperi occultantur: eaedem postridie in Boeotia.* Sunt autem ab die III. ante Nonas Apriles ad medium ferme mensem Maium, quo tempore matutinus incidens Vergiliarum exortus messem inchoandam indicabat, dies et noctes quadraginta.

vs. 386. περιπλομένου ἐνιαυτοῦ recte iam pridem Inter-

pretes reddiderunt *convertente se anno*. Minus recte, ut opinor, Goettlingius hîc et ad Theog. v. 141. esse vult *inverso*.

vs. 387. *τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήρου cum primum acies ferri* (i. e. ἅρπης falcis messoriae) acuitur. Conf. infra v. 573.

vv. 388 seqq. *οὗτός τοι πεδίων πέλεται νόμος* (sc. ἐκείνοις) *οἵ τε κ. τ. λ. tam iis, qui prope mare habitant, quam iis, qui procul a mari saltuosas valles incolunt*. Boeotia pariter atque Attica, de qua miror hîc cogitasse Lehrsium Quaest. Epp. p. 186., partim erat maritima et campestris, partim montana, interiectas montibus saltuosas solique fertilis habens convalles. Erat fere *βήσση* locus amoenus et *πίων fertilis*. Vid. Il. Σ. 587 seqq. H. in Ap. 280., in Merc. 286 seqq. De *νόμος* vide, quae scripsimus ad Theog. 66.

vv. 391—394. *γυμνὸν σπείρειν κ. τ. λ.* i. e. »Serito, arato, metito, quando talis erit aëris temperies, ut veste superiore non indigeas, si quidem volueris omnia Cereris opera convenienti tempore obire, ut singula prospere succedant.” Locus si sic accipiatur, ut accepit etiam I. H. Vossius, non habet inelegantem repetitionem, de qua queritur Lehrsius l. c. p. 188., quaeque Goettlingium movit, ut hîc trium recensionum vestigia agnoscere sibi videretur. Esse *κομίζεσθαι* hîc curandi sensu positum (ut Il. Θ. 284.) recte iam Guyetus vidit. Messi non nisi siccum et serenum tempus convenit. Arationem autem ac sementem, melius est, si sequatur pluvia, quam si illis interveniat. Itaque arandum ac serendum sub occasum Pleiadum ante *χεῖμα ὀμβρηρόν*. Conf. Plutarchus apud Procl. ad h. l. Plinius XVIII. 24. S. 54. 56. Columella II. 8. Cur non

circa brumam serendum sit, docet item Plinius l. c. S. 56. Βοωτεῖν, cum sit verbum raro obvium, videri possunt ad h. l. et infra vv. 614 seqq. pertinere haec Hesychii: βοωτεῖν· ἀροτριᾶν, ὅτε ὁ Ὠρίων δύνῃ· Λάκωνες. Cave tamen credas βοωτεῖν usurpatum Laconibus fuisse. Rectius Suidas βωτεῖν· ἀροῦν Λάκωνες.

Versum 391 expressit imitando Virgilius I. G. 298. *Nudus ara, sere nudus*, ubi *nudus*, ut hîc γυμνὸς dicitur, qui tunica tantum, eaque succincta (Sc. v. 287.), indutus sit. Conf. Cuperus Obss. I. 7. Graevius ad h. l.

vs. 394. τὰ μέταζε] Significatur intervallum temporis a messe, ex qua minus diligens agricola vel parum, vel nihil collegit, ad sequentis anni messem. Conf. infra v. 479 seqq.

vs. 396. ἐπιδώσω *amplius dabo, aliquid addens ad ea, quae iam accepisti.* Conf. supra v. 37 seqq.

οὐδ᾽ ἐπιμετρήσω *neque admetiar amplius* sc. frumentum. Μετρεῖν eximie dicitur, qui frumentum vel aliquid eiusmodi admetitur; μετρεῖσθαι, qui dimensum accipit. Conf. supra v. 349.

Versum 398 male Tzetzes refert ad sidera, quorum ortu et occasu definiatur agricultura. Poëta indicat, Deos opera destinasse hominibus; voluisse, homines ex operibus sibi victum quaerere. Conf. supra v. 40 seqq. v. 303 seqq. Simplex τεκμαίρεσθαι *destinandi* sensu legitur supra v. 229, 239.

vs. 400. ζητεύεις respicit Eustathius, apud Hesiodum esse ζητεύω pro ζητέω, monens ad Il. p. 749, 4.; p. 834, 10. ad Od. p. 1872, 44.

vs. 403. ἐπέων νόμος, ad verbum *distributio verborum*, eius est, qui disserens multis verbis utitur. Itaque non male redditum a Graevio *verborum copia*. Pessime Basiliensis Interpres et hinc alii reddiderant *verborum lex*, ut male Homericum Il. Y. 249. ἐπέων δὲ πολὺς νόμος ἔνθα καὶ ἔνθα redditum est etiam ab Heynio (quem tamen vide in Commentario ad eum locum) *verborum campus*.

vv. 405 seq. Priorem versûs 405 partem respicit Lucianus in Nav. c. 20. T. III. p. 261., posteriorem Plutarchus Conv. Quaest. IX. II. 3. Totum citat Aristoteles Pol. I. 1. et Oecon. I. 2. Priore loco haec habet: ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας Οἶκον μὲν πρώτιστα κ. τ. λ. ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν· posteriore sic scribit: καθ' Ἡσίοδον δέοι ἂν ὑπάρχειν Οἶκον μὲν κ. τ. λ. τὸ μὲν γὰρ τῆς τροφῆς πρῶτον· τὸ δὲ, τῶν ἐλευθέρων, ὥστε δέοι ἂν τὰ περὶ τὴν τῆς γυναικὸς ὁμιλίαν οἰκονομήσασθαι καλῶς· unde Scaliger ad h. l. falsum memoria censet Aristotelem, qui hoc versu putaret absolutam sententiam contineri et γυναῖκα ibi esse γαμετήν. Muretus autem ad Aristotelis Oeconom. (Opp. T. III. p. 478. Ed. Ruhnk.) suspicatus est, sequentem versum ψευδοησιόδειον esse et παρεμβέβλησθαι. Idem Goettlingius statuit et adiectum versum ab eo, qui haec non congruere putaret cum inferiore poëmatis parte, ubi de uxore ducenda Hesiodus praecipit; tum, versum eum ab antiquis exemplaribus quibusdam abfuisse, perspici e loco hoc Philomeli de Virtutibus et Vitiis ab Herculanensi Societate editi Col. VIII.: καὶ πῶς δέχεται γαμετὴν ὑφ' Ἡσιόδου λέγεσθαι τὴν γυναῖκα, πολλῶν καὶ φασκόντων αὐτὸν γεγραφέναι κτητὴν οὐ γαμετήν. Attamen, ut bene observavit Rankius ad Hesiodi Opera p. 9. ex hisce Procli ad h. l. verbis: μάτην λέγουσιν οἱ περὶ Τίμαιον, Ἡσιόδῳ τὸν Ἀριστοτέλην πειθόμενον, μετὰ τὴν τῆς γυναικὸς

τελευτὴν, Ἑρπυλλίδι συνεῖναι τῇ θεραπαίνῃ, ἐξ ἧς αὐτὸν σχεῖν υἱόν· ex his igitur verbis colligitur, certe Timaei iam tempore, ut Hesiodeum, circumlatum esse versum 406.; legiturque hic nunc quidem in omnibus Codicibus. Tum, reiecto illo, nova quaestio exoritur, quomodo Hesiodus, qui rem uxoriam copiae potius quam inopiae convenire putaret, fratrem in re angusta versantem, iusserit ante omnia de ducenda uxore cogitare. Nam *γυναῖκα*, reiecto versu 406, aliter quam de uxore accipere non possis. Itaque illi, qui reiiciendum versum opinantur, simul statuant necesse est, Hesiodum in v. 405 non eximie fratrem respicere, quamvis eum manifesto allocutus sit in proxime antecedentibus. Hesiodeus autem ut versus 406 habeatur, statuendum, poëtam, cum uno spiritu tria illa enunciasset, quae operam rei rusticae daturo Persae primum et ante omnia comparanda essent, incessisse metum, ne frater *γυναῖκα* de uxore statim sibi comparanda intelligeret; itaque addidisse *γυναῖκα* intelligendam esse *κτητὴν, οὐ γαμετήν*, *ancillam, non uxorem.* Scilicet *γυνὴ* modo simpliciter *mulierem*, modo *uxorem* significat. Exempla utriusque usus passim exstant in hoc carmine. Vide supra v. 94, 399. infra 695, 698. Vt poëta hîc *γυναῖκα γαμετὴν κτητῇ* opposuit, ita *γυναῖκας γαμετὰς ἑταίρᾳ* Isaeus de Pyrrhi hered. p. 39, 24 seqq. Est autem *κτητὴ* proprie *acquisita*, *emta*, quemadmodum apud Eurip. in Hec. 446. Ed. Matth. *κτηθεῖσα*. Frequens etiam, ut servi eximie *κτήματα* vocentur. Vid. Suidas v. *κτῆμα*; ut contra dominus dicebatur *κτήτωρ*. Vid. Act. Apost. IV. 34. Hesych. in v. Durioris, ut hîc, traiectionis plura in Hesiodeis sunt exempla. Conf. quae diximus in Comm. ad Th. v. 93 seq.

Putat Lehrsius l. c. p. 191., *κτητὴν οὐ γαμετὴν* nihil ab initio significasse, quam *servam, quae innupta sit* et hinc ad opus faciendum expeditior, *ἥτις καὶ βουσὶν ἕποιτο.*

Conf. infra v. 602. Sed recte Goettlingius, fuisse nuptias sic dictas servorum cum servis, probari posse negat.

vs. 407. *χρήματα* recte explicat Proclus *πάντα, ὅσα πρὸς γεωργίαν ὄργανα χρήσιμα.*

vs. 408. *τητᾷ*] Etym. M. p. 757, 51. *τητᾷ Ἡσίοδος· σημαίνει τὸ ζητεῖς· ἐκ τοῦ τάω τοῦ σημαίνοντος τὸ ζητῶ, γίνεται κατὰ ἀναδιπλασιασμὸν τατάω, τατῶ καὶ κατ' ἔκτασιν τητῶ· ὁ παθητικὸς ἐνεστὼς τητάομαι· τὸ β τητάῃ, τητᾷ.* Malim equidem repetere a *τάω extendo*, ut sit *τητᾶσθαι* proprie *manum extendere ad petendum*, quod est egenorum et mendicantium; hinc *quaerere*, *desiderare*, quod non habeas. Conf. Graev. ad h. l. et Ev. Scheidius in Etymologico Lennepii ad v. *τητάω.*

vs. 409. *μινύθῃ δέ τοι ἔργον Opus deterius tibi fiat*, ac proinde minores etiam fructus reddat. Contrarium est, quod infra habemus v. 412. *μελέτη δέ τοι ἔργον ὀφέλλει.*

vs. 410 citant Athen. XIV. p. 653. D. Schol. Aristoph. ad Acharn. 171. Lex. med. Cod. Reg. Paris. in Philemone Osanni p. 241. Auctor Libelli de Barbarismis, editi a Valckenario post Ammonium; cum seq. versu Zonaras p. 1155. *ἔννηφι* scribit Athenaeus III. p. 100. B. Hesiodum dicere *τὴν τρίτην.* Pollux etiam I. 66. *ἡ δ' ἐπιοῦσα (μετὰ τὴν ἐνεστῶσαν) ἡμέρα καλεῖται αὔριον· τὴν δὲ μετ' αὐτὴν εἰκάσαις ἄν, ὡς ἔνηφι Ἡσίοδος καλεῖ, εἰ μὴ τὴν τριακάδα οὕτω λέγει.* Similia habet Schol. Aristoph. l. c. Sed Harpocration in v. *ἔνη καὶ νέα· ἔνην καὶ εἰς ἔνην τὴν τρίτην λέγουσι*, cui sic scribenti sine dubio obversabantur exstantes tum adhuc Oratorum quorundam loci, in quibus *ἔνην* vel *εἰς ἔνην* aliter accipi non poterant, ut quaedam

sic accipiendi vocabuli exempla ob oculos item habuit Hesychius in locis citatis ab Albertio ad v. ἔναρ, unde neque ego dubitem, ἐς τ' αὔριον ἐς τ' ἔννηφιν hîc accipere *in crastinum et in diem unum insuper* s. *perendinum.* Videtur enim mihi antiquissimis Graecis tam ἔνος, quam ἕνος, quod contractione factum ἕνς, εἷς, usurpatum fuisse; τοῦ ἔνος autem, cui cognata sunt pariter non aspirata Latinorum *unus*, Germanicae stirpis populorum *ein*, *een*, *one*, post αὔριον commodius utique sequitur ut proxime sequentis diei, quam ut τριακάδος, de quo Pollux cogitabat, mentio. Itaque de die perendino accipiunt etiam Goettl. et Hermannus l. c. p. 252., sed vocabulum derivatum ab ἔν volunt, ratione uterque, ut mihi quidem videtur, paulo nimis intricata.

vs. 411, ut Hesiodeum, citat Etym. M. p. 485, 53. ob καλίην.

vs. 412 respiciens Pindarus Isthm. VI. 97. Λάμπων δὲ μελέταν Ἔργοις ὀπάζων Ἡσιόδου μάλα τιμᾷ τοῦτ' ἔπος Υἱοῖσί τε φράζων παραινεῖ, ad quae Scholiastes ipsa poëtae verba refert, quae leguntur etiam apud Scholiastam ad Nem. VI. 91. Postrema versûs citat Himerius Or. XXIV. 1., ut ποιητοῦ Φιλοτίμου ῥήματα.

vs. 413 citant Columella XI. 1. 29. Arrianus Epict. Diss. II. 18. extr. Simplicius ad Epict. c. 75. Ammonius in Categ. p. 67. Ed. Ald. Etym. M. p. 80, 24. Zonaras p. 142 pr. Respicit Plutarchus Consol. ad Apollon. p. 118. C. ἀναβάλλεσθαι et ἀμβολιεργὸς, ut Hesiodea, tractat Eustath. ad Il. p. 250. extr. p. 1370, 22. Conf. et Persius V. 66. ibique Casaub.

vs. 414 incipit longior periodus, cuius apodosis demum est in versu 420 seqq.

vs. 415. καύματος ἰδαλίμου, ut Hesiodi, citat Etym. M. p. 465, 18.

vv. 416 seq. μετὰ δὲ τρέπεται βρότεος χρὼς Πολλὸν ἐλαφρότερος ad verbum est, ut reddidit Schmidius, *convertitur humanum corpus multo levius*, quod Proclus et secutus eum Moschopulus accipiunt de conversione, seu mutatione corporis in melius, minus gravante illud calore; Basiliensis Interpres et hinc alii reddiderant *mutatur*. Id carpens Graevius vertendum censuit *movetur levius*, i. e. agilius, expeditius ad opus faciendum, quod amplector equidem cum Lanzio, Spohnio, Goettlingio. Sed secundum Scholiastas reddendum I. H. Vossius censuit: *dass der menschliche Leib wie verwandelt Leichter sich fühlt und behender.*

vs. 417. Σείριος ἀστὴρ Scholiastis dici hîc non Caniculae stella, sed ipse Sol videtur. Placuit idem Graevio, qui vocabulum eo sensu accipiendum censuit etiam infra v. 587. et Sc. 152. Archilochum sic usurpasse tradit citatus a Graevio Hesychius in v. Σειρίου. An ex vero sic tradiderit, haud constat. In citatis quidem a Graevio Archilocheis Πολλοὺς μὲν αὐτῶν Σείριος καταυανεῖ Ὀξὺς ἐλλάμπων, sitne Sirius stella an Sol intelligendus, perinde incertum est, atque in Hesiodi versibus citatis versuque Lycophronis 397. et Apollon. Rhod. II. 517., ad quos item videndi Scholiastae. Quod autem hîc Caniculam intelligendam esse Goettlingius satis declaratum censet adiecto ἀστὴρ, ipsum quoque fortasse controverti potest. Cum enim Pindaro et Alcaeo dictus Sol ἄστρον fuerit, quidni ἀστὴρ dici potuit Hesiodo?

vv. 420 seqq. τῆμος ἀδηκτοτάτη κ. τ. λ.: *tunc sylva, si caesa fuerit, minime est vermiculorum morsibus obnoxia.* Rei causam indicant sequentia: *Fundit tunc folia et finem germinandi facit.* Scilicet, si, durante adhuc germinatione caedatur sylva, facilius tam stirpis relictae, quam caesae materiae succo madidum adhuc et mollius hinc lignum varii generis vermes (θρῖπες et κῖες v. infra v. 435.) corrodunt. Theophrastus H. P. V. 1. πᾶν (ξύλον) πρὸς ἰσχὺν ὡραιότατον, οὐ μόνον πεπαύμενον τῆς βλαστήσεως, ἀλλ' ἔτι ἐκπεπαῖνον τὸν καρπόν. Itaque pleraque arborum genera caedi iubet post vindemiam et Arcturum, δρυὸς δὲ (ξῦλα) ὀψιαίτατα κατὰ χειμῶνα μετὰ τὸ μετόπωρον. Addit: τὰ μετὰ τὴν πέπανσιν τῶν καρπῶν ἄβρωτα διαμένει, et ὡραῖον δὲ τμηθὲν τὸ δρύϊνον ἀσαπές τε καὶ ἀθριποδέστατον γίνεται· σκλήρον δὲ καὶ πυκνὸν ὥσπερ κέρας· πᾶν γὰρ ὅμοιόν ἐστιν ἐγκαρδίῳ. Conf. Cato de R. R. 31. Cic. II. de Div. 14. Vitruv. II. 9. Serv. ad Virg. G. I. 256.

vs. 422. τῆμος ἄρ' ὑλοτομεῖν κ. τ. λ. Varie reddidere Interpretes; Basileensis et hinc alii: *Tunc sane ligna secato, memor tempestivi operis;* Graevius: *Tum sane ligna secare tempestivum esse opus memento;* Lanzius: *Tunc sane, ligna secare tempestivum* (esse) *opus memor, mortarium quidem tripedale seca.* Sed suadent v. 623. ἐργάζεσθαι μεμνήμενος et v. 711. τίνυσθαι μεμνήμενος, ut hîc quoque μεμνήμενος potius cum ὑλοτομεῖν quam cum ὥρια ἔργα construamus, qua ratione iam Tzetzes, quem secutus Spohnius, accepit τότε ἄρ' ὑλοτομεῖ τὸ ὥριον ἔργον, μεμνήμενος τῆς ἐμῆς δηλονότι παραινέσεως. Dicuntur autem hîc ὥρια ἔργα ipsa ligna, quae secantur, ut ἔργα passim dicuntur ipsae fruges.

Versum 422 et seq. cum principio versûs 424, ut Hesiodi, citat Serv. ad G. I. 175.

vs. 423. ὅλμον i. e. ξύλον εἰς ὅλμον. Ab ὅλω *volvo* derivatum ὅλμος quodvis corpus notavit, cuius figura esset cylindrica vel orbicularis dimidiata, eximie vero pilam ad pinsendas fruges, quali instrumento usi sunt ante molas inventas. Vid., qui priorem partem huius versûs citat, Schol. Aristoph. ad Vesp. 238. Hesych. v. ὅλμος. Conf. et Cato de R. R. XIV. 2. Plinius XVIII. c. 10. s. 23.

ὕπερον *pistillum*, quo frumentum pinsebant. Tzetzes ad hoc explicandum vocabulum quatuor adfert synonyma λάκτην, ναγέα, τριβέα et κόπανον. Sed pro λάκτην rectius legatur λάκτιν. Est autem ἡ λάκτις idem, quod Athenis vocabant ἀλετρίβανον vel ἀλετρίβανον. Vid. Nicand. Th. 109. ibique Schol. nec non VV. DD. ad Aristoph. Pac. v. 259. ναγέα alibi frustra quaeras, sed frequentissimi usûs sunt τριβεὺς et κόπανον.

vs. 424. παρ' Ἡσιόδῳ ἑπταπόδου ἄξονος memor fuit Eustathius ad Il. p. 1040, 8 seqq. ad Od. p. 1684, 32. Memorata haec axis longitudo declarat eo tempore satis lata fuisse plaustra.

vs. 425. εἰ δέ κεν ὀκταπόδην (sc. τάμῃς) κ. τ. λ. *si octo pedum lignum secueris, poteris inde*, cum septem pedes axi sufficiant, *octavum abscindere ad malleum*. Facit autem haec mallei mentio ad declarandum, qua crassitudine lignum esse debeat; simul et durities ligni indicatur. Maiores malleos ex pinu vel ilice factos fuisse, docet Plinius XVI. 43. Spectavit autem poëta malleum sine manubrio.

vs. 426 integrum exhibent Etym. M. p. 183, 77. et citatus ab Heynio in Supplem. Comm. ad Il. E. 487. Scholiastes Lipsiensis; priora versûs Choeroboscus apud Bekker.

Anecd. p. 1207. Conf. etiam, locum hunc respiciens, Eustath. ad Il. p. 574. med. Ἄψιν, ut poëta Boeotus, pro ἀψῖδα (vid. Choerob. l. c.) dixit lignum incurvum, cuiusmodi quatuor requiruntur ad orbem rotae. Id esse voluit τρισπίθαμον. Definitur autem σπιθαμὴ τὸ μέτρον τὸ ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου ἐπὶ τὸν μικρὸν διάστημα ἐκταθέν. Vid. Hesych. in v. Schol. ad h. l. Habet autem spithama, ut item Scholia nos docent, δῶρα s. παλαιστὰς tres. Σπιθαμὰς Plin. VII. 2. Latine reddidit *dodrantes*. Ratio haec est, quod, cum in pede digiti sint sedecim, spithama duodecim digitos continet. Neque male tamen hîc τρισπίθαμον Latini Interpretes reddiderunt *trium palmorum*, modo palmi intelligantur minores, qui sunt quatuor modo digitorum. Vid. Vitruv. III. 1. Tzetzes ad h. l.

δεκάδωρος autem hîc ἀμάξῃ dicitur, ἧς ἡ διάμετρος τῶν τρόχων δεκάδωρος. Vid. Hesych. in v. Schol. ad h. l. Sed difficultatem hoc habet. Cum enim in curvatura rotae quatuor sint ἀψῖδες, singulae trium spithamarum, sive novem δώρων, atque ita omnis περιφέρεια sit spithamarum duodecim, δώρων, seu παλαιστῶν triginta sex, sit autem lex geometriae, omnem diametrum tertiam esse partem περιφερείας, sequi videtur, Hesiodum pro δεκαδώρῳ dicere debuisse δωδεκαδώρῳ. Sed ad solvendam hanc difficultatem scite monuit Proclus, sex παλαιστὰς absumtas fuisse in commissuras absidum.

vv. 427 seqq. Sententia, ni fallor, huc redit: *Multa sunt incurva ligna: sed raro in his aptum aliquod ad γύην. Hoc, diligentius quaesitum, ubi inveneris, tecum ferto domum.*

Est autem γύης, Latine *buris*, pars aratri incurva, cui subnexum est ἔλυμα *dentale* (v. 430.), vomerem continens et a cuius stirpe, sive inferiore et crassiore parte aptatus *temo*, ἱστοβοεὺς (v. 431.) in boves protenditur. Vid. Proclus

ad h. l. et conf. Pollux I. S. 252. Virgil. I. G. 169 seqq. ibique Interpretes.

Priora versûs cum Hesiodi mentione citant Suidas v. πρίνινος· Etym. M. p. 242, 25. Zonaras p. 457.

vs. 428. κατ' ἄρουραν i. e. in locis campestribus, ubi fere agri ad arandum: πέδια supra dixit v. 388. Erant autem etiam in locis planis arbores, quamvis minore numero, quam in montibus. Vult igitur poëta, occupatum circa agros rusticum, simul ibi quoque oculos intendere in nascentes in vicinia arbores, διζήμενον, an illae forte ramum ad γύην aptum offerrent.

vs. 429. πρίνινον iligneum. Est scilicet πρίνου *ilicis* lignum durissimum. Vid. Theophr. H. P. III. 25. IV. 16. Itaque et *manubria ferramentorum optima ilignea* praedicat Columella IX. 2. 92. In Boeotia raras fuisse ilices testem habemus Plutarchum in Procli ad h. l. Commentario.

vs. 430. Ἀθηναίης δμῶος Minervae famulus i. e. τέκτων *faber*, quod fabrili arti praeesse credebatur Minerva. Citat Proclus in hanc rem Il. O. 412. Conf. Graev. et Clericus ad h. l. Vt autem faber hîc famulus Minervae dicitur, ita Socrates in Phaedone p. 85. cum cycnis et lusciniis conservum se Apollinis dicit.

ἐν ἐλύματι] Dictum ἔλυμα παρὰ τὸ ἐλύειν, ὅ ἐστι καλύπτειν, quia vomerem, ὕννιν, tegebat; Latinis *dentale* (sc. lignum) quia continebat aratri dentem sive vomerem. Vid. Serv. ad Virg. I. G. 172. In ἔλυμα autem, ut ὕννις, ita γύης immittebatur, parti quidem inferiori ὕννις, superiori autem γύης et sic γύης una cum ἐλύματι et ὕννει clavis affigebatur ἱστοβοῆϊ *temoni*. Dicebatur tale aratrum πηκτόν.

Vid. infra v. 433. Ἱστοβοεὺς παρ' Ἡσιόδῳ memoratur ab Eustathio ad Il. p. 623, 37.

vs. 431. γόμφοισιν *cuneis*, sive maioribus clavis. Conf. Hom. Od. E. 248. Aristot. Metaph. X. 1. Apollon. Rh. II. 614.

προσαρήρεται vereor, ut cum Goettlingio haberi possit coniunctivus perfecti passivi significatione media, de qua videri iubet Matthiaeum Gr. Gr. § 493. Exempla ibi prolata non sunt Epicorum. Ipsi quidem Matthiaeo § 224, 1. videtur praesens esse verbi medii προσαρήρομαι, quod equidem probabilius existimo.

vs. 432 citat cum priori parte sequentis Schol. Ven. ad Il. K. 335.; cum tribus sequentibus Etym. M. apud Valcken. Animadv. ad Ammonium p. 102 extr.

vs. 433. αὐτόγυον καὶ πηκτὸν respiciunt Eustath. ad Il. p. 68, 24. ad Od. p. 1732, 15. Etym. M. p. 178, 15. Dicebatur autem αὐτόγυον, cuius unum esset lignum, ex quo buris, dentale, temo; πηκτὸν τὸ ἐκ συμβολῆς, commissum clavis et arte fabrili cum aliis aratri partibus. Vid. Proclus ad h. l. collato Eratosthene apud Schol. Apollon. Rhod. II. 232.

vs. 435 citant Etym. M. p. 48, 49. Zonaras p. 112. Ad ἀκιώτατοι, quod hîc legitur, Hesychius ἄσηπτοι· κὶς γὰρ θηρίου γένος. Scilicet κῖες dicebantur vermiculi nocentes, tam ligni teredines, quam curculiones. Vid. Valcken. ad Ammon. l. c., quosque citat Albertius ad Hesych in v. κίς.

vs. 436 citant cum mentione Hesiodi Schol. Aristoph. ad Acharn. v. 179. Suidas v. πρίνινος; extrema versûs cum

seq. versu et vv. 439 et 440. Etym. Gud. p. 232, 40.; cum versu sequente et initio versûs 339 Suidas in v. ζυγομαχεῖν.

Apud Homerum Od. K. 19. ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο Vlyssi dat Aeolus διὰ τὸ στεῤῥόν τε καὶ ἀῤῥαγές, ut ait Eustath. p. 1645, 35., qui ad Il. p. 245. fine ἐνναετήρους Hesiodi ταυτὸν δύνασθαι, quod ἐννεώρους, docet.

vs. 438. ἥβης μέτρον ἔχοντε i. e. *iustam aetatem habentes*, quod et iuvenilis protervitas iam deferbuit (v. 439 seq.) neque tamen iis imminutum est robur (v. 437.).

vs. 441 verba τεσσαρακονταετὴς αἰζηὸς, ut Hesiodi, citat Eustath. ad Il. p. 376. med. p. 526. med. p. 804, 6. ad Od. p. 1589, 38., qui talem αἰζηὸν aetatis iam adultae virum diversum esse vult ab iis, qui Homero θαλεροὶ αἰζηοὶ dicti. Omnino in hoc, boves regente, aratore αἰζηῷ poëta idem requirit, quod in bubus, robur adhuc firmum, exutamque iam iuvenilem lasciviam. Vide vv. 443—447.

vs. 442. τετράτρυφον, ὀκτάβλωμον] Panis, de quo loquitur Hesiodus, quatuor habebat incisuras transversas, quas medias alia secabat incisura, panem tota sui longitudine dividens. Ita comminui frangendo poterat in quatuor frusta, τρυφῆ, ac deinde unumquodque frustum in duo βλωμοὺς, *buccellas*, ut sic octo essent βλωμοί. Erant autem hae buccellae maiores, quae os implendo protuberans efficerent. Est enim βλωμὸς a βλόω *protubero*, neque audiendus Hesychius, quando βλωμὸν esse vult ἰσχνὸν ψωμόν. Nam certe panis erat eiusmodi, qui ad implendam rustici hominis famem, instaurandumque eius robur sufficeret, qualis memoratur apud Theocritum Id. XXIV. 135. ἄρτος Δωρικὸς, ἀσφαλέως κε φυτοσκάφον ἄνδρα κορέσσαι. Quos

Graeci βλωμοὺς, Latini *quadras* appellabant, quod eorum panis quadrifariam dividi soleret. Vid. Seneca de Benef. IV. 29. Auctor Moreti v. 49. ibique Scaliger. Conf. Athen. III. p. 114. E. ibique Casaub. Lepide autem hîc poëta indicat, quemadmodum ei, qui adhibendi ad arationem αἰζηοῦ opera uti velit, curandum sit, ut ille ante opus faciendum bene nutriatur. Similiter infra v. 452. dominum iubet boves ante arationem χορτάζειν.

Citant versum integrum, ut Hesiodeum, Suidas v. βλωμός et Lex. Reg. MS. apud Albertium ad Hesychium v. τετράτρυφον. Postrema eius habet Etym. M. p. 201, 18. Eodem respiciunt Philemon Osanni p. 212. et Eustath. ad Od. p. 1635, 26. ἄρτων ὀκταβλώμων mentionem ab Hesiodo mutuatus videri potest Philostr. Imagg. II. XXVI. 16. Ed. Iacobsii.

vs. 443. ἰθεῖαν αὔλακ' ἐλαύνοι] Hoc ὀρθοτομεῖν vocat Paulus II. ad Timoth. II. 15., ut notavit iam Wakefield. Silv. Crit. P. IV. p. 58. cum seqq. h. l. apte item, sed post Clericum, conferens Luc. IX. 62.

vs. 446. σπέρματα δάσσασθαι, quod citat hinc Zonaras p. 473., est semen spargendo sic distribuere, ut nullus in agro locus semine vacet, qua serentis cura adhibita vitatur labor in locis vacuis iterum serendi. Conf., qui vocabulum ἐπισπορίην h. l. illustrat, Pollux I. 223.

vs. 447. μεθ' ὁμήλικας ἐπτοίηται *vehementer aequalium desiderio flagrat.* Callim. H. in Dian. 190. ἧς ποτε Μίνως Πτοιηθεὶς ὑπ' ἔρωτι κατέδραμεν οὔρεα Κρήτης. Activum habet vetus poëta apud Parthenium c. 21. ἡ γὰρ ἐπ' Αἰακίδῃ κούρῃ φρένας ἐπτοίησε.

vv. 448—450 citat, ut Hesiodea, Schol. Aristoph. ad Av. 710. et cum principio versûs 451 Schol. Arati 1010. Obversatus autem hic Hesiodi locus Theognidi, Ed. Bekk. 1097 seqq. Welck. 911 seqq.

Ὄρνιθος φωνὴν, Πολυπαΐδη, ὀξὺ βοώσης
ἤκουσ', ἥ τε βροτοῖς ἄγγελος ἦλθ' ἀρότου
ὡραίου· καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν,
ὅττι μοι εὐανθεῖς ἄλλοι ἔχουσιν ἀγρούς.

Grues adventante hieme (s. φθινοπώρου ἤδη μεσοῦντος secundum Aelian. H. A. III. 13.) e Graecia in Africam migrabant. Conf. Hom. Il. Γ. 4. ibique Heyn. Earum in aëre conspecti greges, vel auditus clangor, rusticis signum erat arationem et sementem faciendi. Aristoph. in Av. 711. Σπείρειν μὲν, ὅταν γέρανος κρώζουσ' ἐς τὴν Λιβύην μεταχωρῇ. Aratus 1074. Χαίρει καὶ γεράνων ἀγέλης ὡραῖος ἀροτρεὺς Ὥριον ἐρχομένης: ὁ δ' ἀώριος (al. ἀώροις) αὔτικα μᾶλλον· Αὔτως γὰρ χειμῶνες ἐπέρχονται γεράνοισι· ubi vid. I. H. Voss.

vs. 449. ὑψόθεν ἐκ νεφέων] ὑψιπετῆ γέρανον cum alii dixerunt, tum Antipater Sidonius Ep. CV. 2. in Anal. Brunckii T. II. p. 36.

vs. 450. ἥτ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει] Hesiodo ἄροτος eximie dicitur aratio cum satione coniuncta. Vid. infra v. 467 seqq. 614 seqq. Mire Goettlingius sationem factam vult statim post aestivam arationem, de qua agitur v. 462. Factam sub migrationem gruum, hiemis praenunciam, docet Aristoph. l. supra cit.

Versûs 451 postrema respicit Eustath. ad Il. p. 71, 11. Hesiodeam phrasin κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω aemu-

latus est Simonides in Epigrammate de nive, quod servavit Athenaeus III. 99. ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔδακε φρένας.

vs. 452. ἔνδον ἐόντας i. e. *quos tuos praesto habeas in stabulo*. Conf. mox v. 457.

vs. 453. βόε δὸς καὶ ἅμαξαν sunt verba ἀνδρὸς ἀβούτεω boves et plaustrum a vicino petentis, ut sequentia v. 454. πάρα ἔργα βόεσσιν verba sunt vicini, excusantis se, quominus boves det. Plaustro opus erat ad stercus aliasque res in agrum convehendas.

vs. 455. φρένας ἀφνειὸς non est, ut Spohnius explicat, *qui sibi sapere videtur*, sed, ut recte Proclus: ὅς, οὐκ ὢν εὔπορος, ταῖς ἑαυτοῦ φαντασίαις ταῖς κεναῖς οἴεται εἶναι εὔπορος. Est scilicet ille rusticus φρένας ἀφνειὸς in eo, quod putat penes se esse, ut, cum opus fuerit, facile et cito plaustrum compingat.

Est in πήξασθαι vis futuri incerti, ut apud Aristoph. in Nub. 1144. καὶ δικάσασθαί φασί μοι.

vs. 456. ἑκατὸν δέ τε δούραθ' ἁμάξης pars est antiqui versus, quae iam aetate Hesiodi in proverbium abierat. Citat haec Plato in Theaet. p. 207. A., quem locum respicit Galenus in Hippocr. de Nat. Hom. T. V. p. 16, 30. ipse etiam haec Hesiodea laudans ibidem p. 339, 28. Citat eadem etiam Etym. M. v. δόρυ p. 283, 21. Affert quoque Eustath. ad Il. p. 49, 17. ad Od. p. 1541, 11. inter exempla positi ἑκατὸν pro magno numero.

vv. 458—461. sententia haec est: ubi, signo a gruibus dato, arationis tempus apparuerit, confestim et servos et ipsum dominum oportet opus aggredi, ἐφορμηθῆναι (conf.

Sc. 127.), a primo mane incipientes, eoque tempore non curiose respicere ad conditionem terrae, sed, sive sicca sit, sive humida, statim eam aratro proscindere. Est enim festinatione opus, ne cunctantem hiems opprimat. Conf. omnino Proclus ad h. l.

vv. 462—464. pertinent ad novalia in pingui solo, ubi, ut largi inde fructus proveniant, non sufficit autumnali tempore facta aratio, sed agricolam oportet iam vere terram *πολεῖν invertere* (Virgil. I. G. 64 seqq.) et, quo certior de proventu sit, aestate eam *νεοῦν novare;* hinc autem, subsecuta tertia ante adventum hiemis aratione, *σπείρειν seminare*, dum terra saepe sic inversa adhuc *κουφίζει*, i. e. ab aratione adhuc suspensa et elevata est, necdum per hiemales imbres resedit; cum in compactam minus facile recipi semen, receptumve radices agere possit. Conferendus et hîc Proclus.

Dubitantem Lehrsium Quaest. Epp. p. 197., an triplicem arationem Hesiodus docuerit, recte refutavit Goettlingius, citatis Homeri locis Il. Σ. 542. Od. E. 127., antiquissimam illam fuisse arguentibus. Conf. et Th. 971.

Versûs 462 priora citat Pollux I. 223., posteriora Eustath. ad Il. p. 755, 29. p. 811, 21 seqq., qui totum versum respicit p. 1161, 22.

vs. 463. *κουφίζουσαν ἄρουραν* recte Scholiastae ad h. l. et, citans haec, Eustath. ad Il. p. 1065. extr. explicant *κούφην οὖσαν.* Verbum sic neutro sensu usurpavit etiam, citatus iam a Goettlingio, Euripides in Helena v. 1155. Ed. Matth.

vs. 464. *νειὸς* (*τρίπολος*) terra sic ter arata est *ἀλεξιάρη*

depultrix imprecationum, quae sc. ex inopia et fame oriantur, necnon παίδων εὐκηλήτειρα ubertate et copia nati inde cibi *placans pueros*, qui, ubi panis deficit, plorare solent, unde urbanum illud Oratoris dictum apud Quinctil. L. O. VI. 1. 46. *date puero panem, ne ploret.*

Versum cum mentione Hesiodi citat et explicat Etym. M. p. 59, 32. Respiciunt eundem Plutarchus Conv. Quaestt. III. IX. 1. Schol. Pind. ad Ol. II. 1. Eustath. ad Il. p. 439 extr. p. 1109 extr. ad Od. p. 1528, 8. p. 1771, 44. Minus illum intellexerunt Lehrsius et Goettlingius, quorum hic perperam ἀλεξιάρη ad agrorum incantamenta retulit, ille p. 197. παίδων εὐκηλήτειρα ad noxam a pueris defensam, si novali imponantur, ob quam superstitiosam sententiam (sed quam Lehrsius ipse perperam verbis tribuit) eiiciendum versum pronunciat.

Vocabulum ἀλεξιάρη habet etiam Nicander Ther. 861.

vv. 465 seqq. Vota facienda Diis, in quorum potestate est, ut fruges bene proveniant, Διῒ χθονίῳ *Iovi terrestri* s. Diti patri (conf. Cic. de N. D. II. 26.) et Cereri. Facienda autem, non peracta iam aratione, sed statim, cum, arare incipiens, manu altera ἐχέτλην, *stivam*, altera sumseris ὅρπηκα, *virgam*, ad boves instigandos.

Versum 465 citat Schol. Aristoph. ad Plut. v. 727. Respicit eundem et v. 467. Plutarchus de Superst. p. 169. B.

vs. 466. ἱερὸν ἀκτὴν] sunt, quibus ἀκτὴ derivatum videatur ab ἄγνυμι *frango*, ut significentur fruges *molendo fractae*. Alii probabilius ab ἄγω ducunt, ut sit ἀκτὴ illud, *quod convehitur ex arvo.* Sane, quibus locis vocabulum posuit Hesiodus, supra v. 32 infra v. 597 et Sc.

v. 200 fruges nondum fractae significantur. Conf. et Od. B. 355. Apollon. Rh. IV. 413.

vs. 468. ὅρπηκα] Ab ἕρπω, *proserpo*, derivatum ὅρπηξ primum universe notat *viticem*, *virgam*. Vide Callim. H. in Ap. 1. Apollon. Rh. IV. 425. Hinc varia significat. Apud Eurip. Hippol. v. 221 ponitur pro *hastili*. Hoc loco est virga, qua boves impelluntur, sive βούκεντρον, *stimulus bovinus* (vid. Tibullus I. I. 30.), quamquam non est, ut de stimulo ferrato cogitemus, cuius in bubus usum improbat adeo Columella II. 2. in fine.

vs. 469. ἔνδρυον ἑλκόντων μεσάβῳ] aratri partes poëta, post memoratas prius praecipuas γύην (v. 427.) ἔλυμα (v. 430.) ἱστοβοῆα (v. 431.) deinde, multis interiectis ἐχέτλην (v. 467.), hîc iam alias duo memorat. Nam ut, quod Tzetzes et Moschopulus volunt, ἔνδρυον hîc idem sit, quod ἱστοβοεὺς, persuaderi mihi non patiar. Amplexi tamen hoc recentiores Interpretes Basileensis et alii, reddentes *temonem*; definite magis, Schmidius quidem *querneum temonem*, cui refragatur supra v. 435; Goettlingius autem *temonem querneae burae insertum*. Audiendus potius Pollux I. 252. ὁ πλατὺς ἱμὰς, ὁ τῷ ζυγῷ παρακαθαπτόμενος ἐχέβοιον ἢ μεσόβοιον καὶ μεσάβοιον καλεῖται. Καταλαμβάνουσι δὲ αὐτὸν, ὅταν περιειλῶσιν, εἰς τὸ τοῦ ζυγοῦ τρύπημα κερκίδα ξυλίνην ἐμβαλόντες, καὶ καλεῖται ἔμβρυον, ἢ ἔνδρυον, quibus haec super hoc loco similia habet Proclus ad v. 463. τὸν δὲ ἱμάντα τῷ ζυγῷ περιβαλλόμενον μεσάβουν ὀνομαζόντων, ὃν περιάπτουσι κερκίδι, εἰς τὸ μέσον ἐνθέντες τοῦ ζυγοῦ, ἣν ἔνδρυον καλοῦσιν, εἰκότως εἶπεν, ὅτι διὰ τοῦ ὅρπηκος, ὃν ἐπὶ τὰ νῶτα φέρει τῶν βοῶν, κινεῖ αὐτοὺς τὸ ἔνδρυον ἕλκοντας τῷ μεσάβῳ. Συντεινόμενος γὰρ οὗτος ὁ ἱμᾶς περὶ τὸ ἔνδρυον ἐφέλκεται τὸ ἄροτρον.

Εἰ δὲ γράφοιτο μετὰ τοῦ ν μεσάβων, λέγοι ἂν αὐτὸ τὸ ἔνδρυον μεσάβων· scilicet ut sit per appositionem dictum accusativo casu. Quod in eiusdem Scholii fine legitur: τὸ γὰρ ἔλυμα εἶπεν κ. τ. λ. aliunde invectum puto, ut neque Procli esse, quod tribuitur ei Scholion ad h. v. τὰ μέσσαβα, τῶν μεσσάβων· λέγονται δὲ αἱ τοῦ ζυγοῦ γλυφαί· καὶ ὁ Καλλίμαχος· Μέσσαβα βοῦς ὑποδύς. Vix enim est, ut Proclus adeo sibi non constiterit. Tum leguntur eadem in Tzetzae Commentario ad Lycophr. v. 817. Ceterum postrema Scholii ad h. v. rursus cum prius dictis in Scholio ad v. 463 conspirant. Cum Proclo autem et Polluce super μεσσάβῳ consentiunt Tzetzes et Moschopulus, exponentes λῶρον τοῦ ζυγοῦ. Consentit quoque Hesychius in v. μέσοπα et μέσσαβον. Sed, qui locum hunc Hesiodi respexisse potest, Suidas μέσαβον exponit τὸ μέσον τῶν βοῶν ξύλον· unde supplendum fortasse, quod in Photii Lexico nunc exstat, μέσαβον τὸ μέσον· quodque apud Zonaram p. 1340. μέσαβος ὁ μέσον δύο βοῶν. Tum diversa quoque a Pollucis explicatione apud Schol. Apollon. Rh. ad III. 232. leguntur haecce: τοῦ ζυγοῦ τὰ ἐπὶ τοὺς αὐχένας τῶν βοῶν ἐπιτιθέμενα οἱ μὲν ζεύγλας, οἱ δὲ μέσσαβα λέγουσιν, quibus similia habet Etym. M. v. αὐτόγυον. Sed cum vocabulum μεσάβοιον, contracte μεσάβουν, μεσάβων, μέσαβον, clare medium quoddam inter duo boves indicet, non possunt ζεῦγλαι iugi partes, boum cervicibus impositae, intelligi. Verbum a μέσαβον derivatum μεσαβοῦν recte Varinus exposuit τὸ ζευγνύειν, κυρίως βόας· καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἕτερα ζῶα, ubi locum respexit Lycophronis v. 817. κάνθων ὑπὸ ζευγλῇσι μεσαβοῦν, ad quem eadem habet Tzetzes. Erant igitur μέσαβα, quibus iungebantur boves, *subiugia* sive *subiugiorum lora*, ut dicuntur Catoni de R. R. 135. Vitruvio X. 8., collo boum circumdata et hinc circa ἔνδρυον paxillum, qui per medium iugi

foramen in temonem infixus erat ligneus, circaque iugum et temonem ligata, quae cohaerere iugum et temonem totumque aratrum faciebant, ut boves ἔνδρυον ἕλκοντες μεσάβῳ totum simul aratrum traherent.

τυτθὸς perperam Latini Interpretes omnes ante Lanzium reddiderunt *iuvenis:* rectius ille *puer*, ut iam Tzetzes τυτθὸς ὁ μικρός *parvulus*. Conf. Hom. Il. Z. 222. Od. O. 381.

vs. 470. μακέλην, *ligonem*, instrumentum frangendis glebis, quibus fractis occultabantur semina. Latini id *inoccare* dicebant. Columella XI. 2. *sementi facta inoccare oportet, quod sparseris.* Frangebantur autem glebae iactato super eas ligone. Ovid. I. Am. X. 31. *cum bene iactati pulsarant arva ligones*, ubi temere Burmannus illud *pulsarant* sollicitat. Conf. et Virgil. II. G. 355.

Πόνον ὀρνίθεσσι τιθείη, i. e. faciat, ut invadere semina minus facile possint aves, quales memorantur etiam apud Plinium XVII. 5. *improbae alites vomerem comitantes, corvique aratoris vestigia ipsa rodentes.* Conf. et Proclus ad h. l.

vs. 471. εὐθημοσύνη γὰρ ἀρίστη] Respiciunt haec Plutarchus Conv. Quaestt. VII. 2. Pollux IX. 61. Vocabulo εὐθημοσύνη usus etiam Xenophon Cyrop. VIII. V. 7.

vs. 474. εἰ τέλος αὐτὸς ὄπισθεν Ὀλύμπιος ἐσθλὸν ὀπάζοι] Christiani cuiusdam vestigia hîc detexisse sibi visus est Ruhnkenius, cui recte non assensus est Brunckius, agnoscente etiam Proclo versum. Potius dicas, prorsus sapere haec Hesiodi ingenium. Conf. infra vv. 667 seq.

vs. 475. ἐκ δ᾽ ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια] Bene Clericus

ad h. l. »*telas aranearum*, quae non amoventur sterili anno, quia non opus est omnibus vasibus, ad recondendum triticum paratis, propter messis tenuitatem. Sic Catullus (XIII. 8.), ut vacuam crumenam describat, ait *saeculum plenum esse aranearum.*" Citat haec Hesiodea Eustath. ad Od. p. 1793, 37., posteriora versûs cum v. 476. Etym. M. p. 38, 12.

vs. 477. εὐοχθέων δ' ἵξεαι πολιὸν ἔαρ· citat, ut Hesiodeum, Etym. M. p. 401, 15.; respicit etiam Eustath. ad Il. p. 143, 156, 424., ad Od. p. 1382, 33.

πολιὸν ἔαρ, ut Hesiodo, quemadmodum hîc, ita infra v. 492. dicitur, Proclus eo sensu dictum esse vult, ut apud alios λευκὸν διὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ ἡδονήν. Potuisse ideo λευκὸν dictum esse nonnullis haud prorsus negem. At certe non ideo dictum est πολιόν. Equidem tum πολιὸν, tum, in plerisque certe locis, λευκὸν referendum potius cum Moschopulo censeam ad albedinem germinantium et efflorescentium vere arborum. Minime omnium admittenda ratio D. Heinsii exponentis τὸ προβεβηκός.

vv. 479—482. Εἰ δέ κεν ἠελίοιο τροπῇς κ. τ. λ. Si circa solstitium hibernum, sive brumam, araveris, in agro non nisi rarae et humiles provenient aristae, quarum humilitas faciet, ut facilius eas metas demissus ac sedens, quam erectus stans; raritas autem, ut sit ubique ferme inter aristas vacuus ad considendum in solo nudo atque hinc pulverulento (v. 481.) locus, utque non nisi paucas simul manu stringere aristas possis, factosque inde utcunque manipulos non plaustro, sed in sporta domum feras. Conf. omnino Proclus ad h. l.

In ὀλίγον περὶ χειρὸς ἐέργων laborarunt iam antiqui Interpretes. Proclus ad v. 479 explicat: ὀλίγον τῇ χειρὶ πλῆ-

θος ἀσταχύων περιλαμβάνων: sed in alio, quod eius fertur, Scholio ad seq. versum: κατέχων τὰ δράγματα μὴ χειρὶ πεπληρωμένῃ, ἀλλὰ κενῇ χειρὶ τὸ λεγόμενον καὶ περὶ ὀλίγον τόπον αὐτῆς συσφίγγων τὰ δράγματα. Tzetzes ibid. μικρὸν χειρόβολον τῶν σταχύων περὶ τῇ σῇ χειρὶ κρατῶν: Moschopulus ὀλίγον διὰ τῆς χειρὸς εἵργων, ἤγουν περιλαμβάνων. Priorem Procli explicationem et Moschopuli rationem Latini Interpretes secuti omnes inde a Basileensi reddiderunt *pauxillum manu comprehendens:* neque dubium est, quin id voluerit Hesiodus; scrupulus est in verborum, quibus id significatum exstat, constructione. Offensus ad illam, Guyetus scribi iussit περὶ χεῖρας, quod tamen quomodo accipiendum sit, non liquet. Nam, quod addit »*les mettant bechevet* ob paucitatem" pertinet ad sequens ἄντια δεσμεύων. Vid. Menagius Diction. Etymol. v. *bechevet*. Hermannus Opusc. T. VI. p. 230., notata constructionis difficultate explosaque Moschopuli ratione, corrigendum, nisi aliud quid lateat, ὀλίγον πέρι χειρὶ (vel χερσὶν) ἐέργων coniicit. Sed aristas messor una tantum manu stringit, altera falcem tenens: itaque plurali χερσὶν non est locus: χειρὶ ἐέργων autem, ut videri potest etiam Tzetzes legisse, valde ingratum habet hiatum, ceterum explicatum adeo facilem, ut nulla fuerit librariis illud in χειρὸς mutandi causa. Goettlingio non nisi positura mutanda videtur hoc modo: ἥμενος ἀμήσεις ὀλίγον, περὶ χειρὸς ἐέργων ἀντία, δεσμεύων κεκονίμενος, ut sint χειρὸς ἀντία, *quae metenti obvia in manus inciderint.* Fit quidem plana sic constructio, sed minus concinna evadit membrorum in periodo distributio, languetque in primo membro ὀλίγον post ἥμενος. Convenit autem mihi cum Goettlingio περὶ pertinere ad ἐέργων. Possitne construi (κατ') ὀλίγον χειρὸς περιεέργων *aristas ob paucitatem non tota manu sed summis tantum digitis comprehendens?* Apte quidem Cleri-

cus verba contulit Psalmi CXXIX. 7. *non implevit manum suam messor.*

vs. 481. ἀντία δεσμεύων secundum Scholiastas pertinet ad τὴν κολοβότητα καὶ σμικρότητα τῶν ἀσταχύων, ob quae ἀντιβάλλοντες αὐτοὺς καὶ ἀλλήλοις ἐναντίως τιθέντες δεσμεύουσιν. Amplexi hoc Latinorum Interpretum Basileensis et alii usque ad Graevium, reddentes *obversim manipulans;* Guyetus quoque, exponens »ἀντίους τοὺς στάχυας δεσμεύων *les uns en haut les autres en bas*" idque propter *spicarum inaequalitatem.* Assensi item recentius I. H. Vossius et Spohnius. Sed, quaerit Goettlingius, hoc significare ἀντία quis putet? Causam utique habuit, cur sic putaret Proclus, nescio an in Boeotorum usu, de quo monuerat in Commentario Plutarchus. Neque nego tamen, posse ἀντία simpliciter accipi, ut accepit Goettlingius: *quae obvia tibi in manus inciderint, ligans.* Quod voluisse videntur etiam Graevius et Lanzius, reddentes *ex adversa parte* ligans. Certe hunc in annotatione exponere videas *cio che incontra.* Ceterum facit etiam ad paucitatem proventûs declarandam, quod hîc messor ipse manipulos ligat, non, ut in βαθεῖ λήϊῳ fieri solebat, pone messorem alii. Vid. Sc. 288 seqq.

κεκονίμενος, *pulvere respersus,* διὰ τὴν ψιλότητα τοῦ πεδίου καὶ μὴ συνεσκιᾶσθαι αὐτὸ ὑπὸ τῶν ἀσταχύων· ut bene Proclus.

vs. 482 citat Lucianus Diss. cum Hes. c. VI. (T. III. p. 244.) ubi Schol. Φορμὸς παρακαλυμμένον ἢ πλεκτὸν ἀγγεῖον ἐκ φλοιοῦ, ἐν ᾧ εἰώθεισαν ἰσχάδας κομίζεσθαι, quibus similia habet Etym. M., priora huius versus citans p. 798, 54. Conf. VV. DD. ad Hesych. v. Φορμός. *Messoriam cor-*

bem memorant Cic. pro Sext. c. 38. Ovid. XIV. M. 643 seq. Dicebatur etiam Latinis *phormium* et *phormio*. Vid. Don. ad Ter. Phorm. I. II. 72.

vv. 483—490. Interdum accidere poëta ait, ut, qui sero araverit, tamen bonam messem faciat (v. 490.): si nempe sub primum cuculi cantum, vere igitur ferme medio, triduo modice et continenter pluat (vv. 486—489.). Sed alias, inquit, alia Iovis mens est et mortalibus comprehensu difficilis (vv. 483 seq.). Sententiam bene supplet Proclus: οὐκ εἰδότες οὖν οἱ ἄνθρωποι τὶς ὁ νοῦς τοῦ Διὸς, ὀφείλομεν τὰ ἐφ' ἡμῖν μὴ παραλείπειν.

Versûs 486 priora habet Schol. Aristoph. ad Av. v. 505.

vs. 488. τρίτῳ ἤματι Guyetus explicat *toto tertio die praeter duos priores*, Scholiastae quoque εἰς τριτὴν ἡμέραν et ἡμέρας τρεῖς exponunt, Latinique Interpretes similiter omnes reddunt *triduo*. Vnus Goettlingius esse vult *tertio post die*, minus recte, ut opinor. Nam cur potius tertio, quam alio quodam die post primum cuculi cantum?

vs. 489 totum citat Schol. Theocr. ad Id. IV. 34.; priora eius Schol. Aristoph. ad Acharn. v. 740., monentes ὁπλὴν hîc dici pro χηλὴν, cum ὁπλὴ proprie dicatur equorum ungula, χηλὴ boum aliorumque animalium, divisam s. fissam pedis ungulam habentium. Βοὸς ὁπλὴν hîc intellige *bovis vestigium solo impressum*.

Versûs 490 postrema citat Ammonius in ὀψέ.

vs. 492. μήτ' ἔαρ γιγνόμενον πολιὸν, μήθ' ὥριος ὄμβρος] Est ὥριος ὄμβρος, qui sequitur factam iusto tempore sub

gruum adventum, arationem ac sationem. Vid. Plutarchus apud Proclum ad v. 389. collato supra v. 350. Arare autem ac serere iusto tempore qui neglexerit, vel aliqua causa praepeditus non potuerit, ei remedium erit, si post factam ab ipso, veris statim initio ἐν ἰσημερίῃ ἐαρινῇ, ut ait Proclus, sationem sequatur, adulto magis vere, canente iam δρυὸς ἐν πετάλοισι cuculo, ὄμβρος εἰαρινὸς, quippe cuius sit προσηνὲς ὕδωρ τότε τῇ γῇ ὑποθερμαινόμενον καὶ νηπίοις οὖσι τοῖς κάρποις συμφέρον. Itaque vult poëta, agricolam maxime quidem, ut in praecedentibus apparuit, ὡρίου ὄμβρου rationem habere, eumque arando antevertere, sed hac opportunitate exclusum ad aliam, quam ver candescere incipiens indicet, attendere.

vs. 493 totum citant Aristides Or. in Plat. 2. T. II. p. 134. Iebb. T. II. p. 181. Dind. et Eustath. ad Od. p. 1849, 3.; priora versûs Schol. B. Q. ad Hom. Od. Σ. 328.

Χάλκειον θῶκον poëta dixit sedem apud fabrum aerarium, in cuius officina, cum ignem haberet, hieme gratum erat receptaculum algentibus et otiosis. Itaque in eam semper patentem saepe etiam dormitum se conferebant egeni et mendici. Vlyssem sub mendici habitu latentem ignotumque sibi Melantho compellat his verbis Od. Σ. 327: Οὐδ' ἐθέλεις εὕδειν χαλκήϊον ἐς δόμον ἐλθὼν, Ἠέ που ἐς λέσχην; ubi coniuncta, pariter, ut hîc, aerariae officinae et λέσχης mentio similem fuisse docet utriusque opportunitatem etiam, quod ad calorem attinet; de quo tamen neque in λέσχῃ dubitare nos sinit adiectum hîc ἐπ' ἀλέᾳ. Suidas etiam: λέσχη παρὰ Ἡσιόδῳ ἡ κάμινος, et, teste Proclo ad h. l., Neoptolemus (Parianus ille) ἐν τῷ περὶ γλώσσων dixit λέσχην εἶναι ὄνομα αὐλῆς, ἐν ᾗ πῦρ ἐστι. Adde Etym. M. p. 18, 17 seqq. Constat autem e Veteribus, iam antiquo tempore in omnibus Graeciae urbibus ac pagis fuisse λέ-

σχας, aedificia pauperibus excipiendis et adversus hiemalem aëris temperiem muniendis publice exstructa. Vide, quos citant Valcken. Animadv. ad Ammon. III. 13. Wyttenb. in Indice verborum in Plutarcho v. λέσχη, Siebelis ad Pausan. X. 25. In has λέσχας autem saepe etiam garriendi causa otiosi homines conveniebant, unde postea λέσχη significare coepit locum confabulationibus destinatum, confabulantium congressum, ipsam denique confabulationem, unde verba λεσχαίνειν, λεσχάζειν, ἀδολέσχης. Conf. Harpocration et Suidas v. λέσχαι, Hesych. et Phot. Lex. in λέσχη, Etym. M. in v. ἀδολέσχια et λέσχη.

vv. 495 seqq. πολλὰ δ' ἄοκνος ἀνὴρ κ. τ. λ. Poëta hoc vult: si, quo tempore alii propter hiemem, vel garriendi occasionem captantes, in λέσχῃ desident, ipse gnaviter in labore perrexeris, eo facto multum iuvabis domum, neque metus erit, ne praeter hiemis incommoda etiam egestatem experiaris.

vv. 498 et tres sequentes citat Stobaeus Serm. XXX. p. 210.

vs. 499 in κακὰ προσελέξατο θυμῷ dubitat Abreschius in Lectt. Aristaenet. p. 83. sitne θυμῷ casus tertius, an quartus. Scholiastis placuit posterius et secundum eos Grotio, citatum a Stobaeo versum reddenti: *Perpetuo mala multa suo sub corde volutat*; Latini quoque Interpretes Hesiodi Basileensis et alii: *mala versat in animo*, tenetque hoc Graevius contra Schrevelium, qui reddiderat *animum suum increpat*. Mihi non tam absurde reddidisse Schrevelius videtur; immo magis dubito, an κακὰ προσλέγεσθαι θυμῷ significare possit, quod Scholiastae volunt, κακὰ προσεννοεῖν *delicta meditari*. Apud Homerum quidem Od. M. 34. προσέλεκτο positum est *alloquendi* sensu.

vv. 502 seq. non sunt, ut Goettlingius vult, abrupti, sed cum v. 493 et seqq. hoc sententiarum nexu cohaerent. *Vt neque hiemali tempore nimis indulgendum est otio, sed tum quoque improbo labore iuvanda contra egestatem domus, ita vel media aestate obviam eundum est metuendis ab hieme incommodis.* Declarat hoc Hesiodus eo, quod diligenti patrifamilias faciendum sit in servis. Nam, qui in his tam providus fuerit, quanto magis sibi ipsi providebit?

δείκνυε δὲ δμώεσσι κ. τ. λ. mire Goettlingius exponit »*monstra servis* [apes et formicas; has enim intelligere in proverbio rustico, naturae videtur consentaneum esse] οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται." Rectius δείκνυε Scholiastae interpretati sunt πρόλεγε. D. Heinsius etiam et Graevius ad h. l., *dic*, quorum hic monet Latinis sic usurpari *ostendere*. Conf. et Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 533. Est autem hîc δείκνυε *dic*, *praecipe*, cum quadam ἐμφάσει, adiecta praecepti causa, οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται.

ποιεῖσθε καλιάς] Servi antiquitus per aestatem fere sub dio degebant, non longe a pecore aliave re, cui praepositi erant (vid. Od. Ξ. 524 seqq.). Hieme autem, non in aedibus, ubi dominus, sed in καλιαῖς, *tabernis*, ad tempus structis habitabant.

vv. 504—564. Mentione hiemis facta (v. 494, 503.) indicat poëta, quem maxime hiemis mensem vitare debeat agricola, non quidem, ut ab opere prorsus tum abstineat, sed, ut per mensem illum neque in agrum ad opus faciendum exeat, nisi bene vestis pileique et calceorum tegumento contra aëris intemperiem munitus (v. 534 seqq.), neque diutius, quam operis necessitas postulet, in agro moretur (v. 554 seqq.).

Dicit Plutarchus apud Proclum ad h. l. et Hesychium v. Ληναίων nullum esse mensem, quem Boeoti Lenaeonem vo-

cent. Suspicatur autem, mensem ab Hesiodo significari Boeotis dictum Bucatium, eundemque anni Boeotii primum, quem fuisse dicit, Sole Capricornum permeante. Conf. Plutarchus in Pelopida p. 290. E. Ita *Ληναιῶνα* Tzetzes et Moschopulus haud male interpretati fuerint Ianuarium, quamvis dissentiente Georgio Pachymere, loco mox citando. Ceterum, quod mensis Lenaeonis mentio magis poëtae Ionico, vel Attico, quam homini Boeoto conveniat, omnem hanc hiemis descriptionem Hesiodo abiudicandam censuerunt Twesten. p. 56 seq. et Goettlingius ad h. l. veteremque Hesiodum inde a versu demum 536 agnoscit Lehrsius Quaest. Epp. p. 201. Modestior, ut vidimus, Plutarchus fuit, satis habens notasse, Hesiodum in designando mense non usum esse nomine, quod Boeotis familiare esset factum, ceterum admittens, quamvis hoc non diserte dicat, Hesiodo potuisse causam esse, cur mensem illum *Ληναιῶνα* dixerit. Et quid, quaeso, nos prohibeat, causam illam in eo quaerere, quod aetate Hesiodi idem mensi nomen etiam Boeoti tribuerint, licet postea apud eos alio mutatum sit, ut in Italia pro variis temporibus varia fuerunt mensium nomina: nisi dicere malis, Hesiodum, qui certe origine Boeotus non erat, in mense indicando uti maluisse nomine, quod in plurimis Graeciae partibus usu pervulgatum esse sciret.

vs. 504 integrum citat Etym. M. v. *Ληναιών* p. 564, 7. respicit Eustathius ad Il. p. 1117, 53 seqq.; posteriora eius refert Schol. V. ad Il. P. 550. Ad mensis nomen et descriptionem respiciens Georgius Pachymeres de Andronico Palaeologo IV. 15. *μηνὸς ἐνεστῶτος Ἰανουαρίου, ὃν οἱ τὸν Ἀσκρῆθεν ποιητὴν ἐξηγούμενοι Ληναιῶνα κατ' Ἀθηναίους ἔλεγον, οὐκ ὀρθῶς*. Conf. Schol. ad h. l.

βουδόρα ἤματα recte Etym. M. l. c. explicat: τὰ τοὺς βόας ἐκδέροντα διὰ τὸ κρύος. Minus recte Plutarchus ad boves mense Lenaeone s. Bucatio caesos retulit. Quod Goettlingius vult, βουδόρα dici ἤματα ob nutrimenti per hiemem inopiam longius a propria vocabuli significatione recedit, neque firmatur proverbio, quod citat ex Vatic. Append. I. 22. Schotti, βουδόρῳ νόμῳ· ἐπὶ τῶν ἀξίων τοῦ δαίρεσθαι, ὡς οἱ βόες. Est δέρω, sive δαίρω, proprie *decorio*, pellem detraho, hinc universe pellem sive cutem laedo, eximie pulsando, tundendo, verberando, ut complures docent loci Aristophanis. Lexicon Graeco-Lat. Vetus: δέρω· τύπτω *vapulo* (active pro *verbero*), *castigo*. δέρω, ἐκδέρω *ceda*. Lege *caedo*. Quod autem verbum de laesione per verbera, proprie sic dicta, frequens fuit, recte item transferri potuit ad aliam simili modo factam laesionem. *Verbera ventorum*, *imbris*, *grandinis*, *nivis* passim poëtae memorant. Vid. Lucret. V. 955. Virgil. Aen. IX. 669. Hor. III. I. 29. Senec. Trag. Agam. 93. Statius V. Theb. 390. His quasi verberibus quotidie caesa pecora corpore male habent; exulcerantur iis primum partes molliores, hinc totum corium scabiosa macie exasperatur. Gravius etiam frigus, maxime flante Borea, similem corporum laesionem affert, de qua Graeci verbum καίειν, Latini suum *urere* vel *adurere* frequentant (conf. VV. DD. ad Calpurn. Ecl. V. 107.), suntque huic laesioni maxime pedes boum aliorumque pecorum obnoxii, si multum diuque per nivem atque glaciem, πηγάδας, ambulent. Conf. Xenoph. de Venat. VIII. 2. Virgil. Ecl. X. 49. III. G. 295 seqq.

Versûs 505 priora citat Suidas v. πηγάδας, quibus significari vult κρυώδεις ἡμέρας, παγετούς, male, quamvis consentientibus Scholiastis ad h. l. Πηγάδας Poëta dixit frigore concretas et obductas glacie glebas, ad quas non sine

damno suo offendant hominum et iumentorum pedes. Conf. Hesych. v. *πηγάδα*.

Versûs 508 extrema citat Scholiastes Nicandri ad Ther. v. 626., qui *μέμυκε* refert ad omnia per hiemem *συνεσταλμένα καὶ ἠσφαλισμένα*. Citat item Etym. M. in *μεμυκέναι* p. 579, 8., cui *μέμυκε* dictum videtur *ἀντὶ τοῦ ἤχησεν*. Addit autem: *εἰ μὲν οὖν σημαίνει τὸν ἦχον οἱονεὶ ἀποτελεῖν, ἀπὸ τοῦ μ υ κ ῶ ἔστιν· εἰ δὲ δηλοῖ τὸ συνεσφίχθαι καὶ πεπιλῆσθαι ἀπὸ τοῦ κρύους, δῆλον ὅτι ἀπὸ τοῦ μ ύ ω ἐστί.* Eadem fere habet Zonaras p. 1352. Duplicem Interpretationem exhibent etiam Tzetzes et Moschopulus. Procli ambigua explicatio est. Hesychii *μέμυκε* ad Hesiodeum verbum non spectat. Sunt utique a *μύω claudo* repetenda apud Homerum Il. Ω. 420. *σὺν δ' ἕλκεα πάντα μέμυκε* et ib. 637. *οὐ γάρ πω μύσαν ὄσσε ὑπὸ βλεφάροισιν ἐμοῖσιν.* Sed Il. Σ. 580. *βοῦς μεμυκὼς* docet, antiquitus dictum etiam *μύκω* fuisse pro *μυκάω, ῶ*, quo sensu *μέμυκεν* usurpavit etiam Oppianus Hal. I. 227. III. 461. V. 208. Graevius secundum Nicandri Scholiasten reddidit *constringitur*, quem fere secuti sunt recentiores, etiam I. H. Vossius. Equidem ob adiectum *ὕλη* et sequentia cum Basileensi, Schmidio, Spohnio potius accipiam *remugit, reboat.* Conf. Heyn. in Comment. ad Il. Ω. 420.

vs. 511. Etym. M. p. 604, 50. *νήριτος ὕλη*, Ἡσίοδος, *μεγάλη, πρὸς ἣν οὐδεὶς φιλονεικήσειεν διὰ τὸ πλῆθος.* Exstat vocabulum etiam apud Apollon. Rh. III. 1288. et IV. 58. ubi Schol. *νήριτον, τὸ πολὺ καὶ ἀνάριθμον* et *νήριτος, ἡ πολλή.* Potest utique *νήριτος* non minus probabiliter ab *ἀρίω*, unde *ἄριθμος*, quam ab *ἐρίζω* repeti.

Versûs 512 posteriora, ut Hesiodi, citant Gregor. Cor.

de D. Ion. § CXLII. Etym. M. p. 575, 12. et sine poëtae nomine Etym. Gud. v. μέζεα. Vocabulum hoc an recte Ionicum esse voluerit Gregorius, merito dubites. Rectius ut Hesiodo proprium spectavit, tractavitque Eustathius ad Il. p. 234. p. 407 pr. p. 1049, 28., ad Od. p. 1555, 17. Dicta autem haud dubie μέδεα, μήδεα, μέζεα a situ partium inter femora medio. μέσα Siculi et Tarentini dixerunt, teste Etym. M. l. c. Horroris e frigore vel timore in feris indicium τὸ ὀῤῥωδεῖν tractavit Valcken. ad Ammon. Animadv. I. 9.

Versûs 516 extrema et sequentem versum respicit Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 666.

vs. 517. ἐπηετανὰ] Est ἐπηετανὸς proprie *totum in annum durans*, hinc *semper necessitati sufficiens, copiosus*. Vid. infra v. 606 seq. Hom. Od. Θ. 232 seq. K. 427.

vs. 518. τροχαλὸν δὲ γέροντα τίθησι] Proclus τροχαλὸν esse vult ἐκ μεταφορᾶς τοῦ τροχοῦ ἐπικαμπῆ, qui ob frigus se incurvet et contrahat, vel rotae instar celerem ad effugiendum frigus et recipiendum se domum. Prior explicatio haud dubie verior est. Pertinet huc glossa Hesychii τροχαλόν.

vv. 519—521. a mentione ovium, quas frigus non adeo afficiat, poëta ad mentionem transit puellae virginis, quae, quamvis tenella, tamen item frigoris expers maneat domum assidue servando, curamque ibi fidelem ac sollicitam matris experiendo.

vs. 519 citat Plutarchus de Animi Tranquillitate p. 465. D. Versum autem respicit, vel respicientem ad illum Ari-

stonem idem citat eleganti loco de Curiositate p. 516. F. Goettlingius omnia versibus 519—521 contenta digniora sophistico aliquo poëta, quam gravi Hesiodo censet. Mihi magis cum Hermanno convenit, simplici huius loci venustate manifesto nobis antiquissimum poëtam indicari. Ornate, sed cui, ni fallor, obversabantur haec Hesiodi, Catullus LXIII. 86 seqq. *Virgo Regia, quam suaves exspirans castus odores Lectulus in molli complexu matris alebat.*

vs. 523. καταλέξεται est futur. indic. pro coniunctivo (*quae-cubet*), ut saepe.

vv. 524 seqq. ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει κ. τ. λ.] Quod contra posita magis elucescunt, hîc suavissimae imagini virginis, quam mollis in gynaeceo apud matrem mansio et cultus ab omni hiemis iniuria defendat, poëta luridam imaginem subiicit polypi ἔν τ' ἀπύρῳ οἴκῳ καὶ ἤθεσι λευγαλέοισι se per hiemem continentis, praeque fame pedem suum rodentis.

ἀνόστεον, *exossem*, Hesiodus h. l. dixit polypum, qua ratione infra (v. 531.) ὑληκοίτας feras, (v. 571.) φερέοικον cochleam, (v. 605.) ἡμερόκοιτον furem, (v. 742.) πέντοζον manum.

τένδει proprie est *rodendo tenuem facit*, exsugit. Credebant autem Veteres, polypum fame laborantem ipsum brachia sua rodere. Vide, qui v. 524 integrum citat, Antigonum Carystium c. 25.; qui postrema eius inde ab ὅτ' ἀνόστεος, Suidam v. ἐλεδώνη, v. τένδει et v. τένθαις, Etym. M. p. 111, 6. et p. 327, 23. Adde Aelian. H. A. I. 27. Sed opinionem eam confutavit iam Aristoteles H. A. VIII. 2., quem secutus Plinius IX. 29.

vs. 525 citat, ratione etiam praecedentis versûs habita, Plutarchus, Terrestriane an Aquatilia cet. p. 965. F.

vs. 526. *οὐ γάρ οἱ ἠέλιος κ. τ. λ.*] *non enim* (vel, si *οὔτε οἱ* legatur, *neque*) ei Sol ostendit *νόμον*, i. e., ut Proclus exponit, *τόπον τῆς νομῆς*, locum pabuli, quem, invasurus illud, petat.

vs. 527. *κυανέων ἀνδρῶν*, Aethiopum. *τὰ ἄνω τῆς Λιβύης* in hac re memorat Herod. II. 24. Teneo autem cum Hermanno Op. l. c., horum virorum *δῆμόν τε πόλιν τε* memorantem, Hesiodum non magis certam aliquam sibique notam urbem (Meroën vult Goettlingius) significasse, quam Homerus sibi informaverit in hisce Od. Λ. 14. *Κιμμερίων δῆμόν τε πόλιν τε.* Poëtae morem Graecorum, apud quos cuique populo sua urbs erat, ad alios populos transtulerunt.

vs. 528. *βράδιον δὲ Πανελλήνεσσι φαείνει* citant Phrynichus v. *βράδιον* Ecl. p. 36. Thom. Mag. v. *βραδύτερον*, Zonaras p. 407.

Πανελλήνεσσι] Apud Hom. Il. B. 530. *Πανέλληνες* vocantur non universi Graeci, sed populi Thessaliae, quo sensu passim etiam apud eum *Ἕλληνες* memorantur. Vid. Thucyd. I. 3. Hesiodus hîc latius accepisse videtur de omnibus Graecis. Notat quidem Strabo p. 568. C., primos Hesiodum et Archilochum *Ἕλληνας* pro tota stirpe ac gente dixisse. Conf. infra v. 653.

vs. 529. *ὑληκοῖται* Hesiodeum memorat Eustath. ad Il. p. 1031, 45. p. 1265, 34.

vs. 530. *λυγρὸν μυλλιόωντες*] Etym. M. p. 594, 96. *μυλιόωντες Ἡσίοδος τὰ χείλη κινοῦντες ἀπὸ* (an *ὑπὸ*?) *τῆς ψυ-*

χρότητος, ἢ συνάγοντες, ἢ τὰς μύλας συγκρούοντες· Κράτης δὲ γράφει μαλκιόωντες· ἐστὶ δὲ τὸ διὰ κρύος μὴ ἔχειν εὐκινήτῳ δυνάμει χρήσασθαι. Proclus autem ad h. l. μυλιόωντες· διεστραμμένοι καὶ συγκαμφθέντες ὑπὸ τοῦ κρύους. Videri possit huc facere, quod Hesychius μυλλὸν exponit καμπύλον, σκολιὸν, κυλλὸν, στρεβλὸν et μέμυλληκε· διέστραπται, συνέστραπται, quorum tamen diversa fuisse ratio potest. Ac suspicor equidem, illa maxime ad distortam faciem spectasse, ut a Photio μοιμύλλειν exponitur τὰ χείλη διαστρέφειν, ab Eustathio ad Il. p. 906, 54. μύλλος ὁ διεστραμμένος τὴν ὄψιν. Tum, quo minus Proclum hic sequamur, facit, quod infra ferarum e frigore corporis contractio et incurvatio significatur. Est autem et altera Procli explicatio, quam primam profert Etym. M. l. c., ut habent Tzetzes et Moschopulus eam, quae apud Etym. M. postrema exstat. Sed Suidas μυλιόωντες· θρηνοῦντες, parum utique probabiliter, si hunc locum respexisse censeatur. Nam ferae vix dici possunt θρηνεῖν. Recentiorum plerique Tzetzen et Moschopulum secuti sunt. Guyetus: μυλιόω παρὰ τὰς μύλας, ἤγουν σιαγόνας, ὀδόντας. Latini Interpretes fere *stridentes dentibus* reddidere. Negat autem Graevius, frigore ferarum aeque, ut hominum, dentes collidi. Sane vereor, ut recte I. H. Vossius reddiderit *Klappen die Zähn'*. Reiecta hac interpretatione, ut ridicula, Goettlingius, μυλιόωντες significare vult, *misere*, *aegre se nutrientes*, quod a μύλη ductum verbum bene denotet frustraneam manducandi operam. Equidem, quin μυλιᾷν etiam significare possit *manducare*, non intercedo: frustraneam illam operam verbo indicari nego. Videtur mihi quoque designari maxillarum motus, quamquam diversus ab eo, qui frigore in hominibus excitatur. Scilicet indicari puto, quod in efferatis aliqua de causa animalibus saepe observare liceat, ut maxillis motis haud sine stridore frendeant. Memor huius

rei fuit in apri Calydonii descriptione Ovid. VIII. Met. 287, 370. Bovis e rabie tremorem *frendoremque* memorat Vegetius Art. Veter. III. 31. Quasdam autem feras frigore saevius efferari certum est. Tum autem omnes ingruentem in se vehementiorem imbris, nivis, vel grandinis procellam impatientius ferunt, idque adeo declarant rostri motu, circa quam molliorem ac nudiorem corporis partem, crebris a procella ictibus verberatam, maxime dolorem sentiunt, unde etiam incurvantes se caput demittunt (infra v. 533 seq.). Observavi ipse id nonnunquam in cane, quocum venabar, tali forte tempestate ingruente.

vs. 531. *τοῦτο μέμηλεν* sc. *τὸ Φεύγειν ἀνὰ δρία βησσήεντα*, quae iam statim iis aliquid contra procellam afferunt praesidii, et ubi, latebras quaerentes, illas facile inveniant, vel in densis fruticetis, vel in montium cavernis.

vs. 532 ad *σκέπα* (et mox v. 535. ad *νίφα*) respexit Eustath. ad Od. p. 1542, 28., qui ad Il. p. 1081, 15. *σκέπα* pro *σκέπην* dictum esse censet. Sed est neutrum plur., ut *δέπα* pro *δέπατα*.

μαιομένη κευθμῶνα, non addito nomine auctoris, citat Orion Theb. in v. *μαιμώωσα*, quae VV. DD. ad Greg. Cor. p. 583. Ed. Schaef. et Orionis editor Sturzius huc referenda suspicantur.

vv. 533—535 esse ab interpolatore, maxime ex pravo usu vocis *ἔαγε* apparere, scribit Heyn. ad Il. Γ. 367. Sed vide, quae notavi in Varr. Lect. sub vv. 533 seq.

γλάφυ πετρῆεν ex h. l. memorant Eustath. ad Il. p. 243. med. et Etym. M. p. 233, 56. explicantes *πέτραν γλαφύρην, κοῖλον σπηλαῖον, ἄντρον*. Non esse per apocopen dictum

γλάφυ pro γλάφυρον recte contra Proclum et Tzetzen tenet Moschopulus.

vs. 534. ἔαγε, *fracta sunt.* Maior curvatura indicatur, vehementius exstante medio. Sic etiam Latini. Plinius II. 46. *montium — conflexa cubito aut confracta in humeros iuga.*

vs. 535. φοιτῶσιν non facile aliter posse intelligi, quam de hominibus statuit Goettlingius. Num igitur de feris dici posse negat? Sed vide vel de avibus φοιτῶσ' usurpantem Homerum Od. B. 152. et sic de feris dictum exstat H. in Ven. 123 seq.

ἀλευόμενοι νίφα λευκήν citant Choeroboscus Bekkeri p. 1229. et corrupte Ioannes Alexandr. Dindorf. p. 12, 20.

vs. 536. ἔρυμα χρόος, qua dictione usus etiam Homerus Il. Δ. 137., explicat Etym. M. p. 378, 23. ambigens, sitne παρὰ τὸ ἐ ρ ύ ω, an παρὰ τὸ ῥ ύ ω τὸ φυλάσσω. Quod autem apud Homerum ibi et Hesiodum h. l. sine dubio *tutamen* significetur, mediamque et ἐρύω et ῥύω producant, tum apud utrumque poëtam ἔρυμα praecedant vocales, rescribendum utique ῥυFμα statuit Payne Knight on Greek Alphabeth p. 104. Sed mature in hoc vocabulo desertam esse rationem Grammaticam et etymi prosodiam neglectam exemplis, a Valckenario allatis ad Phoenissas v. 990., apparere notat Heyn. ad Il. l. c., unde ad vulgarem usum mutasse Homericum et Hesiodeum ἔρυμα in vulgari ῥῦμα Grammaticos censet, idemque factum in ἐρυσίπτολις Il. Z. 305. Credam equidem υ iam antiquitus in talibus anceps fuisse.

vs. 537. τερμιόεντα χιτῶνα i. e. pertingentem μέχρι τοῦ τέρματος, ἤγουν τῶν ποδῶν; *tunicam talarem.* At vero talem

rustico convenire negat Ernest. ad Hom. Od. T. 242. Scilicet conveniebat mense Lenaeone, quo tempore nullum magnopere opus in agro peragendum erat rustico, quod hominem γυμνὸν et expeditum requireret; contra coeli temperies suadebat, ut aliqua de causa agrum obiens inferiores quoque partes corporis adversus aëris iniuriam tectas haberet. Itaque τερμιόεντα χιτῶνα γεωργῷ πρέποντα, ὅλῳ τῷ σώματι συναπαρτιζόμενον, Hesiodi memor, dixit Eustath. ad Od. p. 1864, 2 seq. quem vide etiam ad Il. p. 794, 16.

vs. 538. κρόκα pro κρόκην, cum Homerico ἰῶκα pro ἰώκην comparantes, citant cum Suida v. ἰῶκα Zonaras p. 1139. Eustath. ad Il. p. 864, 31., qui conferendus etiam p. 1080, 15. Adde, citatos iam a Goettlingio, Grammaticum in Crameri Anecd. Oxon. I. p. 297. et Schol. Ven. ad Il. Λ. 600.

Erat κρόκη subtemen stamine mollius. Itaque poëta hibernam vestem, quae mollior esse debebat, ex multo subtemine et raro stamine confici praecipit. Similiter Alciphron III. Ep. 41. ἐξύφηνον ἡμῖν τὰ ἐσθήματα πρόσφορα ταῖς ὥραις, ὡς εἶναι τὰ μὲν τῷ θέρει προσαρμόζοντα λεπτοϋφῆ, τὰ δὲ χειμέρια ἐχέτω περιττῶς τῆς κρόκης. Conf. Salmas. ad Tertull. de Pallio p. 95.

vs. 541. πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο] Parat etiam Eumaeus apud Homer. Od. Ξ. 23 seq. sibi πέδιλα, τάμνων δέρμα βόειον ἐύχροες, ubi, notante Eustathio p. 1749, 28. per ἐύχροες significatur ὑγίεια ζωοῦ, οὗ τὸ δέρμα εἴη ἂν καὶ πυκνὸν καὶ οὕτως εὔχρηστον εἰς πέδιλα. Pertinet eodem ἶφι κταμένοιο h. l., *bovis* ad sacrificium vel epulum *occisi*, non morbo absumti vel senio sua sponte mortui, quippe cuius infirmum corium cito rumpi soleat. Vid. Schol. ad Hom. Il. Γ. 375. Plutarchus Conv. Quaest. II. 9.

vs. 542. πίλοις ἔντοσθε πυκάσσας citat Etym. M. v. πῖλος p. 672, 5. Calceos poëta intus condensandos ait *lana coactili.* Sic apud Hom. Il. K. 261, 5. ex pelle factae galeae μέσσῃ ἔνι πῖλος ἀρήρει. Mox v. 546. πῖλος est e lana coacta petasus. Apud Thucydidem autem IV. 34. memorantur πῖλοι, Laconum ἐξ ἐρίου πηκτοῦ ἐνδύματα, ut bene ibi Scholiastes explicat. Conf. Pollux X. 50.

vs. 543. πρωτογόνων δ' ἐρίφων κ. τ. λ.] Vbi suo anni tempore frigus venerit, consuendae nervo bovis hoedorum pelles, quod munimentum dorso contra pluviam iniicias: *hoedorum* autem *primogenitorum,* ut pote serius natis grandiorum. Alio trahentem videas Proclum ad h. l.

Notetur simplici vitae rusticae conveniens subitanea ratio lacernam conficiendi. Attamen in consutis pellibus iam quidam cultûs quasi progressus observatur. Facilius enim sic circa dorsum et humeros componebantur ita consutae pelles, quam si esset, ut Eumaeo sumitur apud Homerum Od. Ξ. 530., unius αἰγὸς νάκη.

vs. 545. ὑετοῦ — ἀλέην fere dicas huc pertinere, in Dion. Chrysost. IV. p. 70, 24. Morell. ad διφθέραν invectum, Scholion ἱμάτιον γεωργικὸν στερεὸν, πρὸς ὄμβρων μάλιστα ἀποφυγὴν ἱκανόν.

vs. 546, ut Hesiodi, citat Etym. M. p. 258, 34. Ad πῖλον ἀσκητὸν h. l. respicit Eustath. ad Il. p. 613. fin. p. 803, 5. ad Od. p. 1399, 3. Significatur e lana coacta factus pileus, capitis et aurium tegumentum, aquae pluviae non pervium. Conf. Salmas. ad Hist. Aug. Script. T. I. p. 551. Πῖλον pro capitis tegumento dixit etiam Aristoph. in Lysistr. v. 562. et diminutive hinc πιλίδιον in Acharn. v. 438, ubi Telephum ab Euripide in scenam inductum

fuisse dicit pileatum. De pileo Vlyssi tributo pluribus egit Graevius in Lectt. Hes. ad v. 542.

vv. 547 seqq. Poëta, ut per proxime praecedentia ὑετοῦ ἀμφιβαλῇ ἀλέην et ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ censere se declaravit, esse per praedictum mensem obversanti in agris rustico maxime formidandum imbrem, ita hîc iam exponit, unde saepius soleat illo mense talis imber existere, cuius expositionis commodum utique initium est ψυχρὴ γάρ τ' ἠὼς πέλεται Βορέαο πεσόντος: neque sane divellenda ab his sequentia, aut de versuum transpositione cogitandum, cum omnia optime cohaereant, ac nunc quoque saepe fiat, ut mensibus hiemalibus, mane vento cessante, frigidus sit aër cum nebula, quae, per progressum diei attollente se vento, vel in altum sublata imbrem pariat, vel, si vento dispellatur, ita vehementiores Boreae flatus excitet. Viris doctis fraudi fuit, quod memorati hîc matutini frigoris causam esse voluerunt ventum, unde Goettlingius πεσόντος dictum censuit pro ἐμπεσόντος, Hermannus autem, id merito improbans, mutata versûs 547 clausula subiungendum ei versum 553, in quo mentio est flantis Boreae, statuit. Atqui memoratum in v. 547. frigus per ipsam venti absentiam existit e nebula. Venti cum imbre procella secundum Hesiodum ποτὶ ἕσπερον demum existit, unde dicit v. 554. τὸν φθάμενος, ἔργον τελέσας, οἶκονδε νέεσθαι, quod non recte dictum sit, si, transpositis cum Hermanno versibus, proxime praecesserit ἄλλοτε δ' εἶσιν ἠῶος γ' ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος. Sic enim ante auroram opus peragendum foret rustico.

vs. 549. μακάρων ἐπὶ ἔργοις indicium interpolationis habuit Ruhnkenius, cum apud Homerum et Hesiodum μάκαρες simpliciter Dii, non *beati homines* dicantur. At, nec

Dii apud Homerum vel Hesiodum semper simpliciter dicuntur μάκαρες: saepe additum est θεοὶ vel ἀθανατοί. Itaque nihil obstare mihi videtur, quo minus etiam in hominum beatorum mentione modo ἄνδρες vel βροτοὶ ad μάκαρες addi, modo omitti potuerit. Ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν Homerus dixit Il. Λ. 68., videnturque mihi, tales agros et in his ἔργα qui haberent (nam pauperibus talia non erant), similiter Hesiodo dici potuisse μάκαρας.

vv. 550 seqq. ὅστε ἀρυσσάμενος ποταμῶν ἀπὸ κ. τ. λ. Similia sunt haec Lucretii VI. 475 seqq. *fluviis ex omnibus et simul ipsâ Surgere de terra nebulas aestumque videmus: Quae, velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur, Suffunduntque suo coelum caligine et altas Sufficiunt nubes paullatim conveniendo.* Conf. et Livius XXXVII. 41.

vs. 552. post ἄλλοτε μὲν non offendat ἄλλοτ' ἄησι omisso δέ. Vid. Hoogev. de Partic. c. XXVI. Sect. I. § 16.

vs. 556. χρῶτα δὲ μυδαλέον] Photii glossa μυδαλέον, βεβρεγμένον ad hunc pertinere locum Hesiodi videtur. Cognata sunt μάδω (unde μαδάω, *mador*, *madeo*) et μύδω, unde μυδάω, de quo verbo multis egerunt Koen. ad Greg. Cor. de Dial. Ion. § CLXXV. et Ruhnk. ad Timaeum p. 184.

vs. 557. μεὶς γὰρ χαλεπώτατος οὗτος] μείς, antiqua forma pro μήν, exstat etiam apud Homerum Il. T. 117., Pindarum Nem. IV. 82. Tractat eam etiam Plato in Cratylo p. 409. C.

vs. 558 inde a χαλεπὸς προβάτοις citat Schol. Ven. ad Il. Ξ. 124., ut hoc quoque exemplo probet, antiquos πρό-

βατα de omnibus quadrupedibus, non, ut seriores, de solis ovibus dixisse.

vs. 559—563. τῆμος τῶμισυ βουσὶ κ. τ. λ.] Cato de R. R. c. 56. *Familiae cibaria, qui opus facient, per hiemem tritici modios IIII, per aestatem modios IIIIS.* Columella VI. 3. *Bubus pro temporibus anni pabula dispensantur: Ianuario mense — foeni pondo XXX — Februario plerumque eadem sufficiunt: Martio et Aprili debet ad foeni pondus adiici, quia terra proscinditur.* Quaerit post citata haec Lanzius, an non, ut citati auctores, ita Hesiodus praecepisse statuendus sit, quid reliquo anni tempore facere dominum oporteat. Tum recte, me iudice, contineri illud statuit versibus 561—563, quamvis inductis a Plutarcho, si scilicet accipiantur, quo sensu iam Tzetzes accepit, ut iubeat poëta patremfamilias rusticum a messe facta ad alteram messem per omnes se circumagentis anni noctes atque dies rationem habere variantis earum longitudinis, proque ea variantis item boum laboris, hominum cibi appetentiae: itaque facere, ut tum huic, tum illi semper cibaria aequentur ac respondeant, ἰσοῦσθαι τὴν ἁρμαλίην τοῖς ἔργοις καὶ τῇ χρείᾳ (κατὰ) νύκτας τε καὶ ἤματα. Quod, si malis accusativum hunc pendere ab ἰσοῦσθαι, poteris cum Hermanno, pro tuendis versibus disputante l. c. p. 243., sic accipere: *haec observans aequabis totius anni noctes atque dies*, i. e. sic in summa non erit uno anni die plus impensum pabuli, quam altero, sed aequa semper dispensatio, cum quantum bubus decessurum, tantum hominibus accessurum sit, et contra.

ἐπ' ἀνέρι δὲ πλέον εἴη ἁρμαλίης, ut Hesiodi, sed corrupte citat Etym. M. p. 145, 7.

Per hiemem homines neque, ut boves, ab omni labore immunes sunt, et in exercendo tum labore mali plus ha-

bent, contra quod etiam per largiorem cibum muniendi sunt; concoctoque tum facilius cibo magis etiam illum appetunt.

vs. 560. *μακραὶ γὰρ ἐπίῤῥοθοι εὐφρόναι εἰσὶ* citat sine poëtae nomine Schol. Arati ad v. 286. ubi vitiose *μακρὰ*.

ἐπίῤῥοθος, quo vocabulo usus etiam Hom. Il. Δ. 390., proprie dicitur *ὁ μετὰ ῥόθου καὶ σπουδῆς βοηθῶν*. Vid. Eustath. ad Il. p. 849, 35.

εὐφρόνη, de nocte, apud Homerum non exstat. Ionicis scriptoribus frequenter usurpatur. Vid. Herod. IX. 37, 39. Foes. Lex. Hippocr. ad v., Valcken. ad Hippol. v. 375. Sic autem dicta nox aliis videtur, quod bonum afferat consilium, aliis rectius *παρὰ τὸ εὐφραίνειν*, quod homines recreet a labore. Sequitur hoc Proclus, ab suo hîc dissentiens Plutarcho, quem vide T. II. p. 521. D. 714. C. Conf. et Vales. ad Amm. Marcell. XXII. 8. p. 341.

Dicuntur autem Hesiodo *longae noctes auxiliatrices* bubus, quia minus operantur; hominibus, quia liberalius aluntur, et *genialis hiemis* (Virg. I. G. 302.) commodis fruuntur. Videri possunt hac ipsa de causa poëtae noctes hîc dictae esse *εὐφρόναι*.

vv. 561—563, Proclo teste, expunxit Plutarchus; omisit hinc Brunckius; uncinis inclusere Gaisfordius et recentiorum alii, novissime quidem Goettlingius, contra quem versus tuitus est, qua ratione diximus, Hermannus l. c. addens posse, qui magis etiam eos firmare velit, suspicari, quondam arctius cohaesisse cum superioribus, idque restitutum iri una tantum addita litera *μακραὶ γὰρ ἐπίῤῥοθοι εὐφρόναι εἰσὶ ταῦτα φυλασσομένοις — ἰσοῦσθαι κ. τ. λ.* ut sit *longae enim noctes haec observantibus adiumento sunt ad aequandum in omnem annum noctes atque dies.*

vs. 562 seq. εἰσόκεν αὖτις κ. τ. λ. i. e. ad novae messis tempus.

καρπὸν σύμμικτον intellige fructum omnis generis, pabulum bubus et hominibus.

vv. 564—570. Exactis sexaginta hibernis post brumam diebus, sub vespertinum Arcturi exortum, adventumque hirundinis et veris, vites putandas praecipit poëta.

Super numero sexaginta dierum a bruma ad Arcturi vespertinum exortum et hirundinis adventum consentientem Hesiodo videas Eudoxum, maius autem dierum intervallum statuentem Euctemonem apud Geminum Elem. Astron. c. 16. Quod si cum Romanis auctoribus, Plinio XVIII. 26. Colum. II. X. 21. exortus ille Arcturi die quinto, vel sexto, vel septimo Kal. Mart. ponitur, ac, vel si quarto Kal., die 26 Februarii, cum Geopon. I. IX. 3. II. XL. 2. non impletus erit numerus sexagenarius, sicut non nisi septem et quinquaginta dierum intervallum esse vult Ideler. Enck. Chronol. I. p. 246., qui brumam Hesiodi tempore ponit d. 29 Decembris, Arcturi exortum d. 24 Februarii. Conf. Petav. Var. Diss. II. 8. VII. 5. et, qui multis egit de hoc loco, Robins. in Diss. de Hesiodo p. LIX seqq. Ed. Loesn. Sed equidem denarios huiusmodi numeros in poëtis non nimis premendos arbitror (conf. quae dixi in Varr. Lect. ad Theog. v. 245.), ut frustra etiam quaesitum censeam, a Clerico quidem, sitne ortus Arcturi hîc intelligendus verus, an apparens, ab Idelero autem, τότε πρῶτον παμφ. (sic enim omnino iungendum) satisne accurate dixerit Hesiodus.

vs. 566 seq. προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο — παμφαίνων] Similiter Hom. Il. E. 5. de Sirio: ὅς τε μάλιστα λαμπρὸς παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.

vs. 567. ἀκροκνέφαιος vocabulum unus habet Hesiodus. Notat hoc idem haud dubie, quod supra citatis Astronomis apud Geminum ἀκρόνυχος, itaque *vespertinum*. Sed apud Lucianum in Lexiph. c. 17. ὑπὸ τὸ ἀκρονεφὲς ridicule ponitur pro ὑπὸ τὸν ὄρθρον. Conf. VV. DD. ad Hesych. v. ἀκρόκνεφα.

vv. 568 seq. τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόη κ. τ. λ.] Hirundinis visum et Arcturi exortum vespertinum tanquam veris indicia coniungunt etiam Astronomi apud Geminum, Plinius l. c. et Columella IX. 1. 2. Conf. et Ovid. F. II. 853 seqq.

Quod ὀρθρογόη *mane querulum stridens* et Πανδιονὶς hîc hirundo dicitur, arguit, notam iam Hesiodo fabulam fuisse de Pandionis filia, postquam mariti scelus filioli nece ulta esset, in hirundinem mutata. Factam quoque eius fabulae mentionem in Catalogis ex Aeliano V. H. XII. 20. colligas.

ὦρτο — ἐς φάος ἀνθρώποις dictum videtur secundum opinionem Veterum, abdere se per hiemem hirundines in montium recessibus et cavernis. Vid. Aristot. H. A. VIII. 16. (Schneid. 18.) et Plin. X. 24. S. 34.

vs. 570. τὴν φθάμενος κ. τ. λ.] Vineas alii citius, alii serius putabant. Mature putandas praecipit Cato de R. R. c. 32., tempus tamen ille haud definiens. *A Kalendis Martiis*, itaque serius, quam Hesiodus, *eximiam esse* Columella XI. 2. 26. *vitium putationem* ait; sed addit: *si tamen gemmae se nondum moveant.* Palladius IV. Tit. I. *Martio mense*, inquit, *locis frigidis putatio vitium celebratur.* At Pamphilus Geop. V. 23. inchoandam putationem ait d. 15 Februarii. Ipse etiam Columella IV. 23., cum de autumnali putatione monuisset, *sin autem*, inquit, *coeli status frigidus et pruinosus hiemis violentiam denunciat*, *in Idus Februarias*

hanc curam differemus: quae satis sic cum Hesiodeis conveniunt. Statuit Plinius XVII. 22. S. 35, 19. posse initium putationis fieri, cum flare coeperit Favonius. Is autem flare incipiebat ante hirundinis adventum. Vide Astronomos apud Geminum l. c. Kalend. Vet. Romanum.

vv. 570—572. Vitium putationem sequi debet circa eas fossio s. pastinatio, cuius hîc obiter ita meminit Hesiodus, ut significet, eam peractam esse oportere ante aestivum calorem: similiter Geopon. III. 6. init. *τῷ Ἰουνίῳ μηνὶ τὰς ἐγκεντρισθείσας ἀμπέλους δεῖ περισκάπτειν πρὸ εἰδῶν, ἀρξαμένους ἐκ δευτέρου καὶ τρίτου πρὸ εἰδῶν Μαίων.* Conf. Varro de R. R. I. 31. Columella XI. II. 44, 49.

Aestivum calorem sub exortum Pleïadum, messis inchoandae tempore (supra v. 383 seq.) fugiens *φερέοικος ἀπὸ χθόνος ἂν φυτὰ βαίνει*, foliorum umbram ut subeat. *Φερέοικον* h. l. fuere, teste Etym. M. p. 790, 34., qui testudinem interpretarentur, sane probabilius, quam illi, qui, teste eodem, album animal simile mustelae, quamque alii, qui maioris vespae genus esse vellent. Sed verius *cochleam* interpretati sunt Athenaeus II. p. 63. B. et Dionysius Thrax apud Proclum ad h. l. *Domiportam* cochleam similiter dixit vetus poëta Lat. apud Cicer. de Div. II. 64. ubi vid. Davis., estque cochleae proprium per aestatem *ἂν φυτὰ βαίνειν.*

vv. 574—581 obversati, ut videtur, Columellae haec scribenti I. 31.: *Hoc igitur custodire oportet villicum, ne statim a prima luce familia cunctanter et languide procedat. Nam, ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter et sine ullis concessationibus commeavit, quam is, qui, quum una sit profectus, umbras arborum fonticulorumque amoenitatem vel aurae refrigerationem capta-*

vit, sic in agresti negotio dici vix potest, quid navus operarius ignavo et cessatori praestet.

Versûs 578 posteriorem partem citat Eustath. ad Od. p. 1766, 53., quem vide etiam ad Il. p. 1243, 23. Primo mane μάλιστα ἀκμάζειν τοὺς ἐργάτας bene monuit ad h. v. Proclus.

vs. 579 citat Eustath. ad Il. p. 214. p. 384. p. 680, 57. citat etiam Suidas v. προφέρει, ubi: Καὶ Ἡσίοδος· Ἠὼς, ἥ προφέρει μὲν ὁδοῦ κ. τ. λ. ἀντὶ τοῦ· εἰς τὸ πρόσω ἄγει.

vs. 580 citat Etym. M. p. 384, 5.

vv. 582—596. Post messem, de qua actum v. 575 seqq. anni tempus sequitur, in quo vehemens calor diurnus minus aptum ad labores hominem reddit (v. 586 seqq.): quare tum potius indulgendum est otio, reficiendumque quiete et cibo corpus (vv. 588—596.). Temporis autem eius notas poëta ponit florentem illo carduum, canentemque in arbore cicadam (v. 582 seq.).

vs. 582 integrum citat Schol. Aristoph. Pac. 1159., priora eius Schol. Nicand. Ther. v. 658. Respicit eum et sequentem versum, item 586, Plinius in hisce XXII. c. 22. S. 43. *Traditur* — (scolymus) *Venerem stimulare in vino, Hesiodo et Alcaeo testibus, qui florente ea cicadas acerrimi cantûs esse et mulieres libidinis avidissimas, virosque in coitum pigerrimos scripsere, velut providentia naturae hoc adiumento tum validissimo:* ubi, quod de scolymo Venerem stimulante in vino dixit, certe non Hesiodo debuit, ut neque Alcaeo, cuius Hesiodum imitati fragmentum citat Proclus ad h. l., sed fortasse hausit e raptim lectis minusque intel-

lectis verbis Aristotelis Probl. IV. 26. Διὰ τὶ ἐν τῷ θέρει οἱ μὲν ἄνδρες ἧττον δύνανται ἀφροδισιάζειν· αἱ δὲ γυναῖκες μᾶλλον; καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς λέγει ἐπὶ τῷ σκολύμῳ Μαχλόταται δὲ γυναῖκες κ. τ. λ, quibus verbis Aristoteles non significavit, scolymon causam esse μαχλοσύνης, sed indicare locum voluit, in quo citandus poëtae versus exstaret, eum scilicet, in quo mentio facta scolymi. Perperam D. Heinsius ad h. l. quasi Aristotelis verba citat ἐπὶ σκολύμου, quod sit *cardui* (florentis) *tempore*.

Ceterum de scolymo vid. Theophr. H. P. VI. 4. Dioscorides III. 16. Nicander l. c. Plinius l. c. et XX. 23. XXI. 16. Videtur esse *cinara carduncalus* Linnaei.

vs. 582 seq. καὶ ἠχέτα τέττιξ Δενδρέῳ ἐφεζόμενος κ. τ. λ.] Similiter Homerus Il. Γ. 15. τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵ τε καθ' ὕλην Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι. Conf. Sc. 393 seqq. Citatur ἠχέτα τέττιξ, ut Hesiodeum, ab Suida in v. τέφρα. Conf. et Eustath. ad Il. p. 395. fine, 396. pr.

vv. 583 seq. λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν Πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων] Hesiodum imitata, Sappho in fragmento apud Demetr. Phaler. p. 88. de cicada: πτερύγων θ' ὑπὸ Κακχέει λιγυρὴν ἀοιδάν. Memorant in hac re τεττίγος sive ἀκρίδος πτέρυγας etiam poëtae in Anth. Pal. VI. Ep. 192, 197, 200, 202. Πηδάλια vocat Aristot. H. A. IV. 7 et 9., ubi αἱ ἀκρίδες, inquit, τοῖς πηδαλίοις τρίβουσαι ποιοῦσι τὸν ψόφον, ad quem locum conf. Schneider.

vs. 586. μαχλόταται δὲ γυναῖκες κ. τ. λ.] Plinius X. c. 62. S. 53. *Viros avidiores Veneris hieme, feminas aestate Hesiodus prodidit.* Conf. Aristot. Probl. IV. 28.

vs. 587. *κεφαλὴν καὶ γούνατα Σείριος ἄζει*] Sic Sc. 397. *ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ, ὅποτε χρόα Σείριος ἄζει.* Conf., qui locutionem hanc ab Hesiodo mutuatus videri potest, Nicander Th. 779.

vs. 589. *εἴη πετραίη τε σκιή*] De *τε* sequentibus *σκ* correpto vide etiam Gaisford. ad Hephaest. p. 217 seq.

Βίβλινος οἶνος ex Hesiodo memoratur ab Eustathio ad Il. p. 871, 48.

vs. 590 integrum citat Athenaeus III. p. 115. A., priora eius Schol. Aristoph. Eq. v. 959. Etym. M. p. 573, 23. Grammaticus apud Cramerum Anecd. Ox. I. p. 82., tum et *μᾶζαν ἀμολγαίην* Eustath. ad Il. p. 838, 52. p. 1018, 15. ex hoc loco memorat et interpretatum eam Athenaeum d. l. *ποιμενικὴν καὶ ἀκμαίαν.* Scilicet *ἀμολγαίην* sic accipiebant, quod esset *ἀμολγὸς τὸ ἀκμαιότατον*, ut apud Homerum Il. Λ. 173. O. 334. *νυκτὸς ἀμολγῷ.* Sed magis est, ut *μᾶζα ἀμολγαίη* dici videatur *libum lacteum* s. *ἄρτος ἢ τυρὸς, γάλακτι βεβρεγμένος, ἐζυμωμένος*, ut interpretatus est Callistratus apud Proclum ad h. l.

γάλα τ' αἰγῶν σβεννυμενάων, ut Hesiodeum, citat Eustath. ad Il. p. 1260, 6. Conf. idem p. 217· Caprae non amplius lactantes lac frigidius, magisque hinc per aestatem bibentibus gratum praebent. Vid. Proclus ad h. l.

vv. 591—596. Goettlingio ab alio rhapsodo additi videntur: Hermannus autem l. c. p. 243. sola verba *ἐπὶ δ' αἴθοπα πινέμεν οἶνον Ἐν σκιῇ ἑζόμενον*, quod meram habeant superiorum repetitionem, posse interpolata videri statuit, quae si omittantur et pro *κεκορημένον — τρέψαντα* sequatur *κεκορημένῳ — τρέψαντι* nihil obstare, quominus locus totus esse Hesiodi censeatur. Rhapsodum autem ad *πετραίη*

τε σκιῇ offensum, v. 588. mutato ἤδη in εἴη, sequentem versum omisisse, eiusque sententiam post ἐρίφων intercalasse et dativos in accusativos mutasse putat. Equidem repetitionem supra dictorum in antiquissimo poëta facile ferendam puto.

vs. 591. βοὸς ὑλοφάγοιο vaccae frondibus pastae, de quo boum pabulo videndus Graev. ad h. l.

μήπω τετοκυίης] post partum enim vaccae minus bona est caro. Theocr. Id. I. 6. χιμάρῳ δὲ καλὸν κρέας, ἔς τε κ' ἀμέλξῃς, ubi conf. Schol.

vs. 594. ἀκραέος Ζεφύρου] Minus recte Apollonius in Lex. et Hesychius ἀκραῆ Ζέφυρον apud Homerum Od. B. 421. ἄκρως πνέοντα interpretantur. Rectius ad eum locum Scholia EQ. ἀκεράστως πνέοντα et Eustath. p. 1452, 50. τὸν μὴ κεκραμένον, ἀλλ' ἀκριβῆ Ζέφυρον, motus eo, quod, de vento item usurpatum, εὐκραὴς (vid. Apollon. Rh. II. 1228. IV. 891.) manifesto derivatum esset a κεράννυμι. Conf. idem ad Od. p. 1759, 60. Proclo ἀκραὴς hic exponitur καθαρὸς: nam quae postea Proclo tribuuntur apud Gaisford. p. 287. ἀκραέος δὲ τοῦ ἄκρως φυσῶντος· ἀκραοῦς (sic leg. c. Cod. B. pro εὐκραοῦς) καλοῦ καὶ ἀμιγοῦς ἢ ἠρέμα πνέοντος, non videntur esse Procli. Reddidit quoque Graevius *purum*. Intellige, qui nihil habeat, nisi constantem, sibique proprium flatum, qualis obtinet liquido aëre et libero prorsus ab iis ventis, qui describuntur Th. v. 869 seqq. Εὐκραὴς autem, nescio an recentius ad exemplum τοῦ ἀκραῆς ab Alexandrinis usurpatum de vento vocabulum, non tam facile est expeditu. Nam quid est ventus εὖ κεκραμένος?— nisi illum significare voluerunt, qui neque nimis esset vehemens et sufficeret tamen ad implenda vela.

vs. 595 citat cum seq. Athenaeus XI. p. 782. A. (ut probet, Veteres prius aquam in poculum fudisse, deinde ei vinum affudisse). Solum v. 595, ut idem Athenaeus II. p. 41. E.: ita Plutarchus citat Conv. Quaest. VIII. 5. Respicit eundem Porphyrius de Abstin. IV. 20. Qui omnes salubrem hîc potum a poëta commendari monent.

vs. 596. *τρὶς ὕδατος προχέειν κ. τ. λ.*] Cum Hesiodo facit Evenus Parius A. Pal. XI. 49. *Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ μήδ' ἐλάχιστον· Ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης. Χαίρει κιρνάμενος δὲ τρισὶν Νύμφαισι τέταρτος.* Convenire autem hoc temperamentum potuit tantum generosiori vino. Itaque Cratinus apud Athenaeum I. p. 29. D. *οἰνίσκον* consecutum aliquem, quaerentem inducit: *ἄρ' οἴσει τρίας*; *tresne aquae partes feret?* et apud Aristoph. in Eq. 1195. ad tres aquae partes duae admixtae vini memorantur. Sed Alcaei illud: *ἔγχεε κιρναῖς ἕνα καὶ δύο*, ut *Φιλοίνου* praeceptum notatur apud Athenaeum X. p. 430. A. Conf., qui versum hunc Hesiodi respicit, Eustath. ad Od. p. 1624, 30 seqq. Proclus autem Hesiodi praeceptum restringendum censuit ad anni tempus supra indicatum v. 582 seqq. sole tum *ἐν Διδύμοις* versante (vid. Geminus l. c. in fine): quo tempore scilicet plus aquae vino admiscendum sit *διὰ τὸ θέρος καὶ διὰ τὸ καταψύχειν.*

vv. 597 seqq. iubet dominum, quamvis ipsum per aestatem otiosum, tamen servos ad opus triturandae messis instigare, quo facto frumentum bene mensuratum in vasis condatur. Faciendum autem hoc dicit, quando primum apparuerit Orion. Significatur Orionis exortus matutinus, quem Geoponici I. IX. 7. ponunt d. 10 Iulii; aliquanto citius, vel serius alii. Super hoc Orionis, vel pro parte, vel totius

exortu conf. Astronomi apud Geminum c. 16. et Kalend. Vetus Romanum.

vs. 598. *δινέμεν triturare, bubus circumactis.* Proclus ad h. l. ταῦτα περὶ τῆς τοῦ ἀμήτου εἰς τὴν ἅλω τῶν θερῶν καταθέσεως· τὸ γὰρ δ ι ν έ μ ε ν ἐστὶ τὸ περικυκλοῦντας καὶ περιελαύνοντας τοὺς βόας ἐν αὐτῇ τὰ θέρη τρίβοντας ἀλοᾷν, ubi τὰ θέρη *messem* (vid. Ducang. Gloss. Graec. v. θεριστὴς) sollicitare non debebat Ruhnkenius, de Callimachi fragm. LI. disputans Ep. Crit. II. p. 43. Plura de hoc modo triturandi Veteribus usitato dabunt Xenophon Oecon. c. XVIII. § 2, 4. et Columella II. 21.

vs. 599 integrum citat Etym. M. p. 388, 28.

χώρῳ ἐν εὐαεῖ i. e. *bene ventis exposito*, quo melius dispergantur paleae. Conf. Hom. Il. E. 500 seqq. Xenophon. l. c. § 6 seqq. Varro de R. R. I. 51. Columella l. c. c. 20 seqq. Geopon. II. 26.

ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ *in area bene cylindro levigata.* κυλινδρωτῆς ἐφ' ἅλωος Nicander ἐν τοῖς Γεωργικοῖς apud Athenaeum IX. Conf. Virgil. I. G. 128. Geopon. l. c. § 6.

vs. 600. μέτρῳ δ' εὖ κομίσασθαι κ. τ. λ. bene Scholia explicant καλῶς μετρήσας, ὁπόσους μεδίμνους ἐγεωργήσας, οὕτω ἀποκόμισον τὸν σῖτον εἰς ἀγγεῖα. Quae hîc ἄγγεα Hesiodus, *dolia frumentaria* dicit Cato de R. R. c. 11.

vs. 600 seq. αὐτὰρ ἐπὴν δὴ κ. τ. λ.] ubi messis fuerit bene domi recondita, unde habeas, quo te tuosque et familiam alas, providendum, ut adsint, qui domino servisque, vindemiae vel autumnalis arationis, vel aliqua de causa foras agentibus, fruges ceterasque res domesticas custodiant, curantesque obeant. Itaque conducendus θὴς ἄοικος, quae-

renda ἄτεκνος ἔριθος. Non intellecta huius custodiae curaeque necessitate, Lehrsius Quaest. Epp. p. 205. versus 602, 603 hîc alienos esse iudicat, quod nescias, cur post messem conditam operae parentur; recte, iudice Goettlingio, quamvis hunc non lateat de custodibus fructuum hîc agi. θὴς autem v. 602. intelligendus homo liber, qui operas suas mercede locat. Vid. Harpocration v. θῆτες, Schol. Apollon. Rhod. I. 194. Vult Hesiodus conduci ἄοικον, qui, neque domum neque familiam ipse habens, hinc magis eius, a quo conductus sit, res curet.

ἔριθος similiter est γυνὴ ἐργατική, mulier mercede opus faciens, qualis tum θῆσσα, tum ἔριθος dicebatur. Vid. Hom. Il. Σ. 550. H. in Merc. 296. Theocr. Id. XV. 80. Eam poëta esse vult ἄτεκνον, ne suos potius liberos, quam rem domini curet.

Versûs 603 postrema citantur ab Eustathio ad Il. p. 1091, 53. Schol. Ven. ad Il. Π. 7.

ὑπόπορτις proprie dicitur vacca, πόρτιν *vitulum* sub se habens, quem lactat; hinc translate ponitur de muliere liberos habente.

vv. 604 seq. Ad domus custodiam etiam canis alendus. Canes, qui noctu vigilent, habendos praecipientem etiam videas Varronem de R. R. I. 21.

κύνα καρχαρόδοντα] Scaliger ad h. l. ex Aristotele H. A. II. 1. »ζῶα καρχαρόδοντα dicuntur, quae habent inaequales et serratos dentes, ut canes, vulpes, lupi, leones; ἀμφόδοντα, quae aequales habent, ut equi; χαυλιόδοντα, quae apertos habent, ut mures, talpae, apri.” Canum epitheton est etiam apud Homerum Il. K. 360. N. 198. A χάρω, unde χαράσσω, per geminationem prioris syllabae factum

καρχάρω, unde κάρχαρος, καρχαρέος. Vid. Etym. M. in h. v. p. 493 pr. ubi veris quaedam admixta sunt falsa.

Ad Hesiodeum μὴ φείδεο σίτου h. l. respicit Eustath. ad Od. p. 1622, 25. p. 1822, 33.

vs. 605 integrum citat Etym. M. p. 429, 37. Vocabulum in eo ἡμερόκοιτος respicit Eustath. ad Il. p. 750, 28. Is, qui noctu vigilat, ut furetur, somnum capere de die solet, unde fur ἡμερόκοιτος ἀνὴρ Hesiodo, *dormitator* dicitur Plauto in Trin. IV. II. 20.

Versûs 606 priora usque ad συρφετὸν citat Etym. M. in h. v. p. 736, 38. Notat Heyn. ad Il. Λ. 773. χόρτον hic dici pro pabulo, si modo versus sit Hesiodeus. Causam equidem dubitandi non video. Χορτάζειν βόας dixit poëta supra v. 452. Conf. Casaub. ad Athen. III. 56. Wetsten. ad Matth. V. 6.

Quae apud Suidam, Hesychium, Photium in v. συρφετὸς leguntur, aliena sunt ab hoc loco. Ad Hesiodum autem pertinet glossa Zonarae p. 1684. συρφετὸς ἄχυρα, ἢ φρύγανα, ἢ ἄλλα τινά, qui cum Etym. M. d. l. vult esse a σύρω, συρετὸς, συρφετός. Aliis dictum videtur per literarum metathesin συρφετὸς pro συφερτός s. συμφερτός. Certe est συρφετὸς, ut ab Scholiastis exponitur, συναγωγὴ τῶν φύλλων καὶ τοῦ ἀχύρου.

vv. 607 seq. Post peractum colligendi domumque convehendi annui bubus et mulis pabuli laborem quies indulgenda iis, qui collegerunt et convexerunt; solvendi a plaustro boves; servis aestuantibus permittendum, ut in umbra sedentes vel cubantes se refrigerent. γούνατα memorat poëta, quod haec maxime lassitudine afficiuntur. Conf. Hom. Od. E. 453. N. 34.

vv. 609—614. Vindemiae peragendae tempus et ratio exponuntur. Temporis eius notas poëta ponit (v. 609 seq.) Orionem et Sirium in medium coelum evectos, Arcturique exortum matutinum; itaque medius indicatur mensis September. Vid. Astronomi Veteres apud Geminum l. c. Geopon. I. IX. 9. Plinius XVIII. 31. Columella IX. IV. 20. Kal. Vet. Romanum. Τὴν ὥραν τὴν τοῦ τρυγᾷν Ἀρκτούρῳ ξύνδρομον etiam Plato dicit de Legg. VIII. p. 844. D. Arcturum memorari ab Hesiodo ἐν ἔργοις tradit Harpocration in v. vel hunc locum respiciens, vel supra v. 566.

vv. 612 seqq. Δεῖξαι δ' ἠελίῳ κ. τ. λ.] Proclus ad h. l. vindemiae rationem apud antiquissimos Graecos hanc fuisse dicit: racemos excisos in sole exponebant, ut per insolationem exsudaret, quod in iis tenue et aquosum et ad acescendum pronum esset, vocabantque hoc θειλοπεδεύειν (conf. Hom. Od. H. 123 seqq.). Deinde vero fructum rursus in umbra disponebant condensandi illum gratia, medicantesque sic fervori per insolationem orto refrigerantis umbrae remedio; denique uvas calcabant exprimentes vinum.

Vt hîc δεῖξαι ἠελίῳ Hesiodus, ita *tepidoque ostendere soli* dixit Nemesianus Cyn. v. 208. *Aquiloni ostendere glebas.* Virgil. II. G. 261., ad quem vid. Burmann. et Heyn. Idem est *in sole pandere* apud Columellam XII. 39. unde uva *passa* dicitur, non, ut volunt Varro apud Nonium XVII. 16. et Plinius XIV. 1., a *patior*.

vs. 613. εἰς ἄγγε' ἀφύσσαι *haurito* (sc. ex torculari) *in vasa.* De calcandis in torculari racemis, ut de re satis nota omissa hoc loco, mentio exstat Sc. 301.

vv. 614—616. Occidentibus Virgiliis, Suculis, Orione, denuo de aratione cogitandum. Conf. supra v. 384. quaeque

ad illum de Pleïadum occasu diximus. Hyades s. Suculae et Orion aliquanto serius occidunt, unde mox Orionem fugere Pleïades dicuntur. Videantur etiam hîc Astronomi Veteres apud Geminum l. c.

vs. 617. πλείων δὲ κατὰ χθονὸς ἄρμενος εἴη] Poëta his verbis absolvit agriculturae praecepta, τῶν κατὰ χθονὸς ἔργων, transiturus deinde ad praecepta navigationis tradenda. *Si sic egeris*, inquit, *annus in operibus terra obeundis recte dispositus fuerit.* Vsurpatum πλείων de anno etiam a Callimacho H. in Iov. v. 89. Lycophr. v. 201, 1039. Antipatro Sidonio Ep. XIII. v. 3. in Anal. Brunckii II. p. 9., unde tamen non efficitur, quod vult Goettlingius, aetatis esse recentioris hoc vocabulum. Constat, Callimachum certe et Lycophronem antiquorum verborum in primis fuisse studiosos. Neque est, cur omissum in hoc versu ὧδε vel ἂν nos offendat, ita ut propterea cum Goettlingio versum temere additum putemus ab eo rhapsodo (Alexandrino igitur) qui non sine fine hanc Hesiodei Carminis partem esse vellet. Profectum ab Hesiodo versum etiam Hermannus censuit Opp. T. VI. p. 245.

vv. 618 seqq. Si navigando et mercaturam exercendo potius, quam agrum colendo vel utrique rei pro tempore operam dando (v. 623.) victum sibi quaerere vellet Perses, in hoc exemplum patris secutus (v. 633 seqq.), eum frater, qui in superioribus peragendorum rure operum iusta tempora ac modum docuerat, hîc similibus circa navigationem ac mercaturam instruit praeceptis; attamen, ut bene observant Scholiastae, se non nimis in hanc rei faciendae rationem pronum ostendit, navigationem v. 618. δυσπέμφελον dicens, multusque deinde in eius describendis periculis, faciensque praeceptorum initium a mentione temporis, quo

non sit navigandum, ita quidem properans ad hoc, ut hisce v. 618. εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρῇ subiungere negligat apodosin: *haec observanda sunt.* Esse enim versum illum alîus recensionis temere coniicit Goettlingius, estque omnino vero similius, ab Hesiodo profectum esse versum, sine quo nimis abrupte factus esset transitus a praeceptis de re rustica ad haec de navigatione.

Versum 618 integrum, sed sine poëtae nomine, citat Etym. M. p. 292, 36., ut Hesiodi, Zonaras p. 579.; respicit ob v. δυσπεμφέλου Eustath. ad Il. p. 1084, 39. p. 1153. fin. p. 1154. pr. item Schol. Victor. ad Il. Π. 748. apud Heynium T. VII. p. 790. Quippe exstat δυσπέμφελος etiam apud Homerum d. l. ubi illud alii ad proxime antecedens ἀνήρ, alii ad remotius πόντῳ referunt, unde etiam pro diversa construendi ratione variat explicatio vocabuli. Namque est de viro δυσάρεστος, de ponto δυσχείμερος. Inepta autem vocabuli etymologia, quam habent Etym. M. et Zonaras ll. cc.; veriorem Pausanias apud Eustath. ad Il. p. 1065, 2 seqq. et Scholiastae ad h. l. exhibent, deducentes a πέμπω, ut sit δυσκόλως παραπέμπων, commodeque sane dicitur hoc sensu tam γλαυκὴ Th. v. 440, quam h. l. ναυτιλίη δυσπέμφελος, *qua naves et viri non nisi aegre transmittuntur*, nec minus commode infra v. 722 seq. dicitur aliquis πολυξείνου δαιτὸς ἐκ κοινοῦ δυσπέμφελος, *difficilem se praebens in mittendis ad convivium, quod multi amici communiter instruunt, symbolis;* δυσξύμβολος idem dictus Xenophonti M. S. II. VI. 3.

vs. 619. εὖτ' ἂν Πληϊάδες κ. τ. λ.] Pleïades, ante Orionem occidentes, quasi illum fugere, Orion illas quasi insequi videtur. Recte Clericus Hesiodea h. l. respexisse censuit Q. Smyrnaeum V. 367. Πληϊὰς εὖτ' ἀκάμαντος ἐς

Ὠκεανοῖο ῥέεθρα Δύεθ' ὑποπτώσσουσα περίκλυτον Ὠρίωνα, Ἠέρα συγκλονέουσα· μέμηνε δὲ χείματι πόντος. Conf. Heyn. in Exc. I. ad Virg. G. IV. p. 639. Quae vero de venatore Orione, columbas (*Πληϊάδας*) persequente, Goettlingius habet, aliena sunt, ni fallor, ab h. l. et omnino a poëtae mente.

vs. 621. *Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων πνείουσιν ἀῆται*] non tantum *ἀήτην* ipsum ventum, sed etiam *ἀνέμου ἀήτας* dici, hoc Hesiodi, vel simili infra v. 645. exemplo probat Eustath. ad Il. p. 427.

Periculosum mare sub occasum Pleïadum vide significantes etiam Theocr. Ep. IX. extr. Prop. I. VIII. 10.

vs. 623 Goettlingio additus videtur ab eodem poëta, qui transitum parabat, a carmine de agricultura ad novum carmen de navigatione. Connexum hoc iudicium cum eo, quod de v. 617 protulit. Sed non magis huius, quam illius idoneam rationem apparere equidem Hermanno assentior. Tum remoto v. 623 offensionem faciunt nimis propinqua sibi invicem v. 622. *νῆας*, v. 624. *νῆα*.

vs. 624. *πυκάσαι τε λίθοισι*] Scholiastae exponunt *ἀσφαλίσαι*, item *ὑποστήριξαι*, respicientes *ἕρματα* navibus subiecta, quorum mentio fit Il. A. 486. B. 154. Sed *πυκάσαι* magis est *tege, cooperi, constipa.* Vid. Hom. Il. P. 551. Od. M. 275. Voluisse igitur poëtam puto, ut, quantum fieri posset, undequaque constiparetur navis lapidibus, tum iuxta eam (H. in Ap. 503.) positis, tum iniectis in eam, quo minus noxiam venti imbriferi vim experiretur.

vs. 625. *ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων* sine poëtae nomine citat Etym. M. p. 20, 28. exstantque eadem haec

Od. E. 478. T. 440. Conf. et Eustath. ad Od. p. 1468, 15.

vs. 626. *χείμαρον ἐξερύσας κ. τ. λ.*] Philemon Osanni p. 198. Χείμαρος λέγεται πάσσαλος ὁ ὑπὸ τὴν τρόπιν, οὗ ἐξαιρουμένου τὸ ὕδωρ παραχωρεῖ· καλεῖται δὲ καὶ εὐδιαῖος (Pollux I. 92. Hesych. in v.). Ἡσίοδος· χείμαρον ἐξερύσας ἀντὶ τοῦ ἐκβαλών. Eustath. ad Il. p. 525. Ἡσίοδος τὸν ἐν τῷ ἐδάφει τοῦ πλοίου πάτταλον χείμαῤῥον καλεῖ, τὸν καὶ ἴβδην λεγόμενον· ποιεῖ δὲ τοῦτο ἀστείως διὰ τὸ ἐκεῖθεν (aperto sic in carina foramine) τῆς νηὸς ἀποῤῥέειν τὸ ὄμβριον ὕδωρ, ὡς διὰ χειμάῤῥου τινός. Eadem ferme habet ad Il. p. 858, 36 seqq.

vs. 627. ὅπλα sunt armamenta navis, maxime rudentes. Conf. Hom. Od. Ξ. 346. Φ. 390. Herod. VII. 25. ibique Wesseling.

vs. 628. νηὸς πτέρα, ut Hesiodea, citat Schol. Aristidis p. 23., τὰ ἄρμενα i. e. *vela* interpretans. Sane vela hîc intelligi, declarant adiecta εὐκόσμως στολίσας. Conf. de la Cerda ad Virgilii Aen. III. 520. *velorum pandimus alas.* At Homerus Od. Λ. 124. εὐήρε' ἐρετμά, τά τε πτέρα νηυσὶ πέλονται et similiter Prop. IV. VI. 47. *centenis remigat alis.* Sed possunt h. l. remi in superiore ὅπλα intelligi.

vs. 629 integrum citat Schol. Aristoph. ad Av. v. 712. De re conf. supra dicta ad v. 45.

vs. 632. ἐντύνασθαι vertunt Interpretes omnes *imponito:* sed rectius vertas *componito.* Conf. Hom. Il. E. 720. I. 203. Od. Z. 33, Π. 22. Quod hîc poëta ἐντύνασθαι, idem infra v. 672. dicit φόρτον δ' εὖ πάντα τίθεσθαι.

vv. 633 seqq. Vide, inquit, quantum laborem meus et tuus, o Perse, pater susceperit opum quaerendarum gratia, qui et saepe navigans mare traiecerit et postremum quoque, relicta patria Cuma, Ascram migraverit, haud sane amoenissimum in locum. Versus 633—642 Goettlingio serius additi videntur ab iis, qui non Cumaeum, sed Ascraeum esse Hesiodum ex ipsis eius versibus demonstrare vellent, quod suum promens iudicium non satis memor fuit eorum, quae scripserat ipse in Prolegomenis pr., ut adversus recentiorum quosdam non Cumaeum sed Ascraeum fuisse Hesiodum tam ex ipsius versibus, quam ex poëtarum antiquorum consensu probaret.

Versûs 636 priora cum versibus 639 seqq., ut Hesiodi, citat Strabo XIII. p. 622.

vv. 637 seq. delevit Brunckius, obsecutus Clerico, cui Gallica nive frigidiores hi versus videntur. Equidem in iis antiquam et Hesiodeam simplicitatem agnosco. Cum verbis *τὴν Ζεὺς ἄνδρεσσι δίδωσι* confer infra v. 717 seq.

vv. 639 seq. *Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος κ. τ. λ.*] Ascram in radicibus Heliconis conditam testatur etiam Hegesinous poëta apud Pausan. IX. 29. Sitam autem Strabo ait VIII. p. 409. *ἐν δεξιᾷ τοῦ Ἑλικῶνος ἐφ' ὑψήλου καὶ τραχέος τόπου*.

Citat v. 639 et seq. Schol. ad Nicand. Th. v. 11., solum versum 640 Eustath. ad Il. p. 270., ubi Zenodoteam lectionem *πολυστάφυλον Ἄσκρην* pro *Ἄρνην* repudiandam censet ob ea, quae de Ascra sua testatus est Hesiodus. Sed tamen et vineas in Ascrae vicinia fuisse docent supra vv. 570 seqq. vv. 611 seqq., et ab agrorum fertilitate *πολυλήϊος*

Ἄσκρη dicitur in Epigr. apud Pausan. IX. 38. nec videtur Hesiodus aliud significare voluisse, quam molestum Ascrae fuisse hieme frigus, aestate calorem; itaque nullo tempore anni iucunde illic habitari: quae tamen habitationis incommoda subeunda pater Hesiodi putaverit, quod multis illa agri vicini commodis compensarentur. Temere igitur, me iudice, Velleius I. 7. *Hesiodum ideo tam contumeliose patriam testatum esse* scribit, *quod esset ab ea multatus.*

Ad Ἄσκρῃ χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ notat Proclus, dixisse etiam Eudoxum: Ἄσκρην ἀνήλιον εἶναι ἐν χειμῶνι διὰ τὸ ὄρος τὸ ἐν Ἑλικῶνι — καὶ ἐν τῷ θέρει φλέγεσθαι. Poëtae verba illa, sed sine nomine eius, refert Maximus Tyrius XXIX. 7. p. 353., cum mentione Hesiodi Schol. Ven. A. ad Il. B. 507. Respiciunt versum Ovidius IV. ex P. XIV. 31. et Lucian. in Pseudol. c. 19. T. III. p. 177.

vv. 641 seqq. Vt omnia ἔργα iusto tempore modoque peragenda sunt, ita illa maxime, quae ad navigationem pertinent. In his maxime oportet, quod infra dicitur v. 694, μέτρα φυλάσσεσθαι, idque agere, ut omnia fiant καιρῷ. Nam sic demum erunt ἔργα ναυτιλίης ὡραῖα. Agit hinc poëta de iustae magnitudinis navi eligenda, de magis minusve ad navigandum iusto commodoque anni tempore, de modo, qui in committendis mari facultatibus servandus sit.

vs. 643 integrum citat, sed sine auctoris nomine, Plutarchus de Aud. poët. p. 22. F., ut Hesiodeum, Schol. Arati ad Ph. 152., principium eius Etym. M. p. 36, 22.; Eustath. ad Il. p. 610., p. 802, 4., ad Od. p. 1642, 31. a quibus, ut item a Plutarcho, νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν exponitur παραιτεῖσθαι, χαίρειν ἐᾶν, merito, ut puto, reclamante Graevio, quamvis dissentiat Wyttenbach. ad Plutarchum

l. c. Scilicet poterat omnino parva navis laudari, ut concinna ac venusta, *διὰ τὸ σύντομον*, praeferrique tamen ei magna *εἰς τὸ ἐμπορεύεσθαι*, ut ait Proclus. Similis ratio loci Virgiliani, quem contulit Graevius, G. II. 412. *laudato ingentia rura; Exiguum colito.* Nam, quae multis placerent, ut ingentia, sane hactenus laudari vel ab eo poterant, qui rus praeferendum ipse duceret exiguum; idemque obtinet in citatis ab Athenaeo III. p. 122. B. locis, Theodori *κελεύειν μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον*, Sophoclis in Aethiopibus: *τὰ μὲν Δίκαι' ἐπαινεῖ, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου.* Namque esse, quod laudes, in *τῷ ἴσῳ* et *τοῖς δικαίοις*, quis, quaeso est, qui neget?

μεγάλῃ δ' ἐνὶ Φορτία θέσθαι, quod maior navis fere validior est. Aratus l. c. de tempestate, flantibus Etesiis, *εὐρεῖαί μοι ἀρέσκοιεν τότε νῆες*, ubi vid. Schol.

vs. 644. *μείζων μὲν Φόρτος* est occupantis obiectionem: at plus mercium et laboris requiritur ad magnam navem implendam; cuius vim tollit poëta monendo, maius etiam esse lucrum. — Norunt harum rerum periti, si nimis parva sit navis, etiamsi bene succedat navigatio, tamen pro facto in eam sumtu impensoque labore saepe non respondere lucrum.

vv. 646—662 Goettlingio adiecti fuisse videntur ab eodem rhapsodo, qui versus 632—642 addiderat. De versibus 646 et sequente benignius iudicat Twestenus p. 58., qui versus 648—662 item abiudicaverat Hesiodo. Plutarchus, Proclo teste, spurios habuit versus 651—662., at certe non Heliconii, qui tripodem, cuius mentio fit v. 657., adhuc apud se servari ferebant tempore Pausaniae, quem vide IX. 31, 3. Dicitur autem Proclo repudiasse Plutarchus

ταῦτα, ὡς οὐδὲν ἔχοντα χρηστόν, quae si sola ei iniectos versus censendi causa fuit, mihi cum Lanzio convenit, non magni illam ponderis habendam esse. Potuit sibi placere Hesiodus in re, quae ad laudem ipsius faceret, praedicanda, quamvis nihil inde aliis ad virtutis vel scientiae incrementum accederet, videturque mihi neque alienum illud ab ingenio poëtae censendum, neque indignum ipso iudicandum esse. Sed nescio, an Plutarchum ad iniquius de his iudicium impulerit superstructa iis fabula, satis tamen ipsa antiqua, de certamine Homeri et Hesiodi in Amphidamantis ludis funebribus: quippe qui bis coniunctim faciat utriusque rei mentionem, in Conv. Sept. Sap. c. 10. p. 154. et Conv. Quaest. V. 2. p. 674 fin. 675 pr. posteriore quidem loco non sine fastidii significatione. Quod si sola Plutarchi auctoritas satis movere nos non debet, ut spurios versus 650—662 habeamus, cum in iis nihil appareat, quo minus Hesiodei censeantur, superiores etiam pro talibus agnosci consentaneum est, quos neque Plutarchus sollicitandos duxit, quorumque non pauci versus colorem prorsus Hesiodeum exhibent, ut statim vv. 646 et seq. Hermannus interpolationem demum in vv. 656—659 agnoscit.

vs. 648. Δείξω δή τοι μέτρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης bene Proclus exponit: ἐγώ σοι δείξω πότε δεῖ πλεῖν· nec male Tzetzes: δείξω καὶ ὑποθήσομαί σοι τὰ μέτρα καὶ τὰ ἁρμόδια τῇ θαλάττῃ καὶ τῇ ναυτιλίᾳ. Dicitur sic saepe μέτρον τινός iustus, qui in re observandus sit, modus. Sic ἥβης μέτρον supra v. 438. est *iusta aetas*, infra v. 720. γλώσσης μέτρον *modus linguae observandus in loquendo.* Sic etiam h. l. μέτρα θαλάσσης sunt *quae circa mare, exercere illud volentibus, observanda.* Similiter dicuntur μέτρα κελεύθου apud Hom. Od. Δ. 389. K. 539., non, ut male Lat. reddiderunt *mensuras viae*, neque enim hae postea tradun-

tur a Proteo vel Tiresia, sed quid Menelao vel Vlyssi circa viam observandum esset. At sunt μέτρα θαλάσσης *maris mensurae* in oraculo, Croeso dato, apud Herod. I. 47.

vs. 649. οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος, οὔτε τι νηῶν] ad haec Proclus: σημειοῦται ὁ στίχος οὗτος· Εἰπὼν γὰρ εἶναι ἄπειρος ναυτιλίης, πῶς ὑποτίθεται αὐτήν; respondet Eustath. ad Dion. Perreg. v. 707. Ἡσίοδος ἐν τοῖς περὶ τοῦ πλέειν λέγει, ὅτι λέξω, οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος οὔτε τι νηῶν· οὐ γὰρ πώποτε νηῒ ἔπλευσα καὶ τὰ ἑξῆς, διδοὺς νοεῖν, ὅτι ὡς Μουσῶν ὑποφήτης οἶδε πάντα. Conf. infra v. 662. Sed poterat etiam aliud responsum dari. Namque, ut de tempore magis minusve ad navigandum commodo, ceterisque, de quibus agitur vv. 663—690. praeciperet Hesiodus, non omnino requirebatur, ut ipse navigasset. Vide notata infra ad vv. 660—662. Ceterum, quod hîc exstat, dictum est eiusmodi, ut facilius mihi persuadeam, tale ab Hesiodo proficisci potuisse, quam inducere eum talia dicentem rhapsodo cuiquam in mentem venisse.

vs. 651. μείναντες χειμῶνα Latini Interpretes inde a Basileensi vertunt *exspectantes hiemem* vel *expectata hieme;* parum, si quid video, recte; H. Stephanus in Thes. ad μένω *sustinentes*, vel *ferentes hiemem:* et sic I. H. Vossius *ausharrend den Sturm;* Goettlingius *exspectantes, dum desineret tempestas.* Equidem simpliciter esse puto: *cum* (ibi) *hiemem mansissent:* quo sensu Caesar de B. G. V. 51. dixit *totam hiemem ad exercitum manere:* ut proinde significetur per hiemem e variis Graeciae partibus Aulidem convenisse exercitum; post hiemem profectam classem. Certe non constat, hîc agi de tempestate memorata ab Hygino fab. XCVIII. et aliis, quae immissa per Dianae iram Graecos

retinuerit, quamquam eius fabulae fundus ipsa haec Hesiodi verba esse potuerunt.

vs. 653. Ἑλλάδος ἐξ ἱερῆς] Conf. supra dicta ad v. 528. Ἑλλὰς ἱερὴ est *magna, praeclara.*

Hesiodo memoratam h. l. Τροίαν καλλιγύναικα respicit Eustath. ad Il. p. 270.

vs. 654. ἄεθλα δαΐφρονος Ἀμφιδάμαντος sunt praemia certaminum instituendorum in Amphidamantis funere, a filiis eius, ut mox dicitur, posita. Sic apud Hom. Il. X. 163 seq. ἄεθλον ἀνδρὸς κατατεθνειῶτος. Conf. et Ψ. 630 seq. Fuit Alcidamas rex Chalcidis in Euboea, quem in proelio navali contra Eretrienses pro agro Lelanto pugnantem cecidisse, auctor est Plutarchus in Conv. Sept. Sap. l. supra cit. et apud Proclum ad v. 648. Eius belli mentionem fecerunt etiam Thucyd. I. 15. Strabo X. p. 688.

Versûs 656 posteriora ob φημὶ cum principio versûs sequentis citat Eustath. ad Il. p. 755, 39.

vs. 657. τρίποδ' ὠτώεντα *tripodem auritum*, i. e. ansatum: τριπόδων οὔστα fabricantem Vulcanum vide apud Homerum Il. Σ. 378. Sunt hae aures s. ansae in maioris tripodis figura apud Spohn. in Misc. Erud. Antiq. p. 188.

Factam tripodis h. l. vel Sc. v. 312. ab Hesiodo mentionem respicit Eustath. ad Il. p. 880, 8.

vs. 658. τὸν μὲν ἐγὼ Μούσαις Ἑλικωνιάδεσσ' ἀνέθηκα, i. e. Μούσαις ταῖς ἐν τῷ Ἑλικῶνι, ut recte exposuit Wolf. ad Theog. v. 22.; sic ἔνθα, quod sequitur, valebit ἐν τῷ Ἑλικῶνι.

Tradit Dio Chrysost. Or. II. de Regno p. 76. Reisk., illi

in Helicone tripodi inscriptum fuisse: Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικώνισι τόνδ' ἀνέθηκεν Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χάλκιδι θεῖον Ὅμηρον, in quo nescio an secutus sit Auctorem Certaminis Homeri et Hesiodi, qui sic tripodi inscripsisse Hesiodum refert. Sed, ut recte animadvertit Goettlingius, epigramma non legit in tripode, quem vidit, Pausanias, cuius haec sunt verba l. c. ἐν δὲ τῷ Ἑλικῶνι καὶ ἄλλοι τρίποδες κεῖντο καὶ ἀρχαιότατος, ὃν ἐν Χαλκίδι λαβεῖν τῇ ἐν Εὐρίπῳ λέγουσιν Ἡσίοδον νικήσαντα ᾠδῇ.

vv. 660—662. Vsum quidem navigationis poëta non habebat, sed nihilominus effari poterat Ζηνὸς νόον (supra v. 483.) *Iovis mentem* i. e. rationem, quam ille sequi solebat in regendis anni tempestatibus, ita ut alio tempore tutior, alio periculosior esset navigatio. Eius autem rei scientiam Hesiodus accepisse se significat ab erudientibus eum Musis, probabiliter sane, cum et a Musarum disciplina repeti illo tempore soleret quidquid in poëtarum Carminibus inerat egregii, parsque eruditionis Musicae inprimis haberetur rerum coelestium cognitio.

vs. 662. ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν] dici ὕμνον generatim de carmine, negat antiquorum esse Hermannus in Orphicis p. 817., quamobrem, ut ab interpolationis suspicione liberetur versus, pro ὕμνον substitutum vult οἶμον; temere, ni fallor. Neque enim video, cur minus de Hesiodeis, quae sequuntur, usurpari ὕμνος potuerit, quam Od. Θ. v. 429. de iis, quae canere solebat Demodocus.

vv. 663 seqq. Quinquaginta dies post solstitium aestivum, ad finem progresso aestatis laboriosae tempore, poëta tempestivam esse dicit navigationem, quia tunc et venti sint, quibus confidas, et mare innocuum. Scilicet, ut Aristote-

les ait, Meteorol. II. 5. *μετὰ τὰς θερινὰς τρόπας καὶ κυνὸς ἐντολὴν συνεχεῖς γίνονται οἱ ἐτήσιαι*, secundum Apollon. Rhod. II. 525 seq. *ἤματα τεσσεράκοντα*, secundum Timosthenem in Schol. ad Apollon. l. c. *πεντήκοντα*. Nempe erant ferme quinquaginta, annumeratis prodromis. Plinius II. 47. *ardentissimo aestatis tempore exoritur Caniculae sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV ante Augustas Calendas est. Huius exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt, quos prodromos appellant. Post biduum autem exortus iidem Aquilones constantius perflant his diebus, quos Etesias appellant. Mollire eos creditur Solis vapor, geminatus ardore sideris, nec ulli ventorum magis stati sunt.* Cum flare hi venti incipiebant, aestas, quae apud Veteres Graecos Latinosque initium ducebat ab exortu Pleïadum (vid. Arat. Ph. 266. Plin. XVIII. 29.) iam pro magna parte exacta erat, peracta item messis, ita ut collectum frumentum posset ipse dominus, si vellet, conscensa nave ad commercia alio convehere, idque anni tempore inter messem et vindemiam, quo nihil fere ipsi in agro peragendum erat. Ante vindemiam autem ipse redux esse et debebat (v. 674.) et poterat. Neque enim navigatio, de qua hîc agitur, in longinquas oras fiebat, sed erat finis eius vel aliqua Aegei maris insula, vel oppositum Asiae Minoris aliudve non dissitum continentis littus.

vs. 666. *κανάξαις* contractum ex *καταϜάξαις*. Namque habuit *ἄγω* *frango* digamma. Conf. Heyn. in Exc. III. ad Il. T. T. VII. p. 730. et in Comment. ad Il. N. p. 41. T. VI. p. 379.

vs. 670. *τῆμος δ' εὐκρινέες τ' αὖραι*] Comparat cum his Eustathius ad Il. p. 965, 3 seq. *κεκριμένον οὖρον*, Homero dictum Il. Ξ. 19., recteque illi *εὐκρινέες αὖραι* censentur,

αἷς ἐναντίαι εἰσὶν αἱ συγκεχυμέναι καὶ ἄτακτοι. Sic apud Hippocratem Aphorism. III. 8. et de Morb. Vulgar. II. 1. εὐκρινέες νοῦσοι sunt, quorum certa ac facilis sit διάγνωσις, quibusque oppositi ἀκατάστατοι καὶ δυσκριτοί, quemadmodum εὐκρίνεσιν αὔραις, quibus ut certis confidas, oppositi censendi venti, ab Hesiodo Th. 871. dicti μαψαύραι, quod ἄλλοτε ἄλλοι ἄεισιν.

Versum 675 spuriis accenset Heynius ad Il. Ξ. 254., ratione iudicii non reddita. Posteriora versûs ob ἀήτας ab ἡ ἀήτη citat Eustathius ad Il. p. 982, 28.; ad Od. p. 1509, 49., qui locum hunc respicit etiam p. 1524, 20. ob mentionem ibi flantis hieme Noti, comparans Od. M. 325. Χειμέριον Νότον dixit etiam Sophocles Antig. 334. Conf. Aratus Ph. 291 seqq. Virgil. VI. Aen. 355., Plinius l. supra cit.

vv. 678 seqq. ἄλλος δ' εἰαρινὸς πέλεται πλόος κ. τ. λ.] Dicitur hîc εἰαρινὸς πλόος non omnis navigatio verna. Sed suscepta certo quodam veris tempore, cum folia, in summa ficu tanta apparuerint, quantum est vestigium, quod in terra gradiens cornix relinquit. Serius hoc tempus eo, quod Theophrastus indicat H. Pl. III. 6., germinare ficum tradens paulo ante aequinoctium vernum; at prius illo, quod significatur in loco Matthaei XXIV. 32., quem citavit Clericus. Agitur enim ibi de plane adultis iam ficûs foliis, aestatem mox venturam indicantibus. Itaque in Hesiodeis tempus veris ferme medii significatur. Θρία ἐαρινὰ κορώνης ποδὶ εἴκελα memorat Plutarchus de Def. Orac. c. 3. p. 410. E., recteque monet Bodaeus a Stapel ad Theophr. H. Pl. p. 53., fici folia primum prodeuntia cornicis pedi non inepte comparari; antiqua, sive maiora, non item.

vs. 681. ἐν κράδῃ ἀκροτάτῃ] Dicitur κράδη proprie *fici ramus*. Vid. Dioscorides I. 118. Ponitur tamen etiam pro ipsa arbore. Vid. VV. DD. ad Hesychium in v. Ἀκροτάτῃ non temere additum est. Nam summa quaeque arborum prima germinant, idque vel maxime in ficu obtinet.

τότε δ' ἄμβατός ἐστι θάλασσα, scil. ob flantes tum etiam certos ventos, sed non diu eosdem. Vid. Plinius et Geminus ll. cc., unde Hesiodus infra πλόον hunc ἁρπακτὸν dicit.

vs. 682. Hermannum offendit post ἄλλος δ' εἰαρινὸς πέλεται πλόος ἀνθρώποισιν (v. 678.) hîc subiectum εἰαρινὸς δ' οὗτος πέλεται πλόος· unde liquere censet, vv. 682 seq. non esse nisi variationem versûs 678, in quos διασκευαστὴς, qui versus eos omittere nollet, οὗτος intulerit, cum propter ἄλλος in v. 678. retinere εἰαρινὸς δ' ἄλλος non posset. Alia, quae in seqq. minus concinna videantur, similiter hinc enata censet, quod sint diversorum poëtarum versus, hîc alio ordine compositi, quam legeremus eos, si cuiusque carminis esset inspiciendi copia: sic fortasse post v. 677 statim fuisse vv. 687, 8. Equidem puto εἰαρινὸν πλόον, quamvis non infrequentem iam aetate Hesiodi, tamen ut ipsi, ita multis suspectum fuisse et male vulgo audivisse, ut hoc poëta ipso illo nomine εἰαρινὸς, cum emphasi dicto in v. 682, satis indicatum duxerit. *Verna autem*, inquit, *haec est navigatio*, i. e. non tuta, quemadmodum quis dicat: *Punica autem haec fides*, i. e. cui non facile credas.

vs. 684. ἁρπακτὸς i. e. quae navigatio nulla esse potest, nisi *rapta*, cito occupata et occupanda, cum et ante et post breve tempus illud indicatum varia et procellosa sit tempestas. Similiter ab solerti duce Sertorio solita ἁρπάζεσθαι τὰ

πράγματα dixit Plutarchus in Pomp. c. 17. p. 627. C., Latinisque sic usurpatur *rapere* et *rapi*. Plinius XVIII. 26. S. 66, 2. de spatio, quod est inter aequinoctium vernum et exortum Virgiliarum, *in hoc temporis intervallo,* inquit, *agricolae rapienda sunt ea, quibus peragendis ante aequinoctium non suffecerit;* Sil. Ital. I. 569. *tempore Martis Vtendum est rapto*, ubi conf. VV. DD. et ad Liv. VI. XXIII. 5.

vs. 686 integrum citant Theon ad Arat. Ph. v. 299. Stobaeus T. XCI. 25. (Gaisf.). Memor horum, ut videtur, citatus iam ab Lanzio ad h. l., Timocles apud Stobaeum ibid. 15. *τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.*

vs. 687. *δεινὸν δ' ἐστὶ θανεῖν μετὰ κύμασιν*] *λευγάλεον θάνατον* vocat Vlysses apud Hom. Od. E. 312., quo respexit Serv. ad Aen. I. 93.

vs. 693. *μέτρα* Guyetus et D. Heinsius de tempore opportuno accipiunt: sed hoc est *καιρὸς*. Itaque verior est Scholiastarum Veterum sententia, quam cum Graevio Lanzius secutus est, *μέτρα* ab Hesiodo vocari iustum modum, praesertim cum in proxime praecedentibus etiam de servando modo actum sit. Obversata haec Hesiodea Pindaro Isthm. VI. 103, 4., non omnino temere coniecit Schmidius.

vv. 695 seqq. Redit poëta ad praecepta moralia, facto commode ad haec a praecedentibus transitu per mentionem *τοῦ ὡραίου* etiam circa nuptias observandi, suntque supra traditis de servando in omnibus modo congrua, quae traduntur vv. 707, 715, 720. Ceterum, si poëta in his, ut in praecedentibus, fratrem alloquitur, hunc tum adhuc et coelibem et triginta annis iuniorem fuisse sequitur: nec

sane repugnat supra v. 399, cum is intelligi possit de tempore, quo Persae futuri essent uxor et liberi: et vero omnia, quae de Perse in hoc carmine traduntur, eiusmodi sunt, ut iuvenilem eius aetatem et protervam hinc levitatem arguere videantur. Ad Persen autem hîc quoque sermonem dirigi, verosimile fit eo, quod etiam sequentium multa in eum praecipue cadere videntur, hominem, qui neque θεῶν ὄπιν satis respiceret, eoque esset ingenio, ut fratri, recta et vera monenti, facile suis similem moribus sodalem nisi anteponeret, certe iuxta fratrem et quasi fratris loco diligeret; malos potius, quam bonos sectaretur; bonis adeo saepe conviciaretur et omnino lingua parum modeste et prudenter uteretur.

Citat versum 695 cum duobus sequentibus Plutarchus in Amat. c. 8. p. 753. A.; solum Schol. Theocr. ad Id. I. 109. cui ὡραῖος exponitur ἀκμάζων. Versûs 697 priora verba citat Eustath. ad Il. p. 97.; sequentis versûs principium Pollux I. 58. et Etym. M. v. τέτορε p. 754, 10.; neque dubium est, quin ad hunc versum respexerit Eustath. ad Od. p. 1398, 21., scribens: ὅρα τὸ τέττορας Δωρικῶς λεχθὲν, οὗ εὐθεῖα κεῖται παρ' Ἡσιόδῳ, tametsi hîc non est εὐθεῖα.

vs. 696 seq. μήτε τριήκοντα ἐτέων κ. τ. λ] Consentientem videas Platonem de Re publ. V. p. 460., de Legg. VI. p. 772., neque multum ab Hesiodeis abit Aristoteles Pol. VII. 14.

vs. 698. ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβώοι κ. τ. λ.] Male Pollux l. c. ὅταν δὲ εἴπῃ ὁ Ἡσίοδος· ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβῴη, τέτταρα καὶ δέκα ἔτη λέγει, προσαριθμουμένων τῶν δέκα, et similiter exponentes Scholiastae ad h. l. ἡ δὲ γυνὴ ἐπὶ τέσσαρα καὶ δέκα ἔτη ἀκμαζέτω· τῷ πέμπτῳ δὲ ἀντὶ

τοῦ πεντεκαιδεκάτῳ γαμοῖτο. Sine exemplo est, ut ita subaudiatur δέκα. Deinde ad eam sententiam requirebatur non τέτορ' ἡβώοι, sed τετάρτῳ ἡβώοι. Poëta autem, ut nec virum statim, ex quo pubes factus esset, uxorem ducere, sed aetatis annum exspectare voluit tricesimum, ita in muliere quoque haud nimis properandas esse censuit nuptias, sed annum exspectandum a pubertate quintum. Itaque reddendum: *mulier autem quatuor annos pubescat, quinto a pubertate anno nubat.*

vs. 699 citat integrum Aristot. Oec. I. 4., posteriora eius Aristides T. II. p. 34.

vs. 700. ἥτις σέθεν ἐγγύθι ναίει, quae, quo vicinior, eo notior tibi sit; de qua omnia habeas ante cognita et explorata.

vs. 701. μὴ γείτοσι χάρματα γήμῃς, unde gaudium capiant vicini, sive rem habentes cum uxore tua, sive mores eius dissolutos tuamque lenti hominis stultitiam ridentes.

vv. 702—705 citat Stobaeus LXVII. p. 423.; vv. 702, 3 et principium sequentis Zonaras p. 427.; versum 702 cum sequente Clem. Alex. Strom. VI. p. 744. Respicit locum Greg. Nazianz. p. 290. B., ubi τοῖς ἔξωθεν de Hesiodo accipiendum monet Basilius Caesariensis in Scholiis ad Gregor. ineditis, ut me Boissonadius docuit.

Hesiodea Simonides apud Clementem l. c. ita reddidit duobus iambis:

Γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ ληΐζεται
ἐσθλῆς ἄμεινον, οὐδὲ ῥίγιον κακῆς.

vs. 704. *δειπνολόχης*] Etym. M. p. 262, 49. Ἡσίοδος· γυναικὸς δειπνολόχης, τῆς κακὰ λοχούσης, τῆς λάθρη ἐσθιούσης καὶ μὴ φανερῶς· ἥτις χωρὶς δαλοῦ τὸν ἄνδρα καίει καὶ γηράσαι πρὸ ὥρας ποιεῖ. Respicit locum etiam Eustath. ad Od. p. 1784, 25., quem vide etiam p. 1508, 1.

vs. 705 integrum citat Plutarchus de Virt. et Vitio p. 101. E., de Cupid. Divit. p. 527. A.; priora eius Eustath. ad Il. p. 934, 31., qui conferendus etiam p. 864, 55.

vs. 706 citat, ut Hesiodeum, Stobaeus Ecl. Phys. I. p. 8., in Ed. Heer. c. IV. 13.

vs. 707 citat integrum, ut Hesiodi, Plutarchus de Fraterno amore p. 491. A.

vs. 709. μηδὲ ψεύδεσθαι γλώσσης χάριν Schmidius reddidit: *neque simules linguae gratiam*, Graevius: *neque mentiaris dicis gratia*, parum recte uterque. Melius Proclus μὴ μόνον παραιτεῖσθαι (l. παραιτεῖται sc. ὁ ποιητὴς) τὸν φίλον λυπεῖν διά τινος ἔργου προσκρούοντα, ἀλλὰ μὴ ψευδόμενον πρὸς αὐτὸν φαίνεσθαι διὰ περίττον καὶ ἀνόνητον τῆς γλώσσης ὁρμήν. Itaque reddendum: *neque mentiaris linguae temere garrientis gratia.*

vs. 710. ἀποθύμιον *animo tuo ingratum.* Hom. Il. Ξ. 261. Ἄζετο γὰρ, μὴ Νυκτὶ θοῇ ἀποθύμια ἔρδοι, quo pertinent Apollonii aliorumque glossae.

vv. 713 seq. δειλός τοι ἀνὴρ φίλον ἄλλοτε ἄλλον Ποιεῖται] Hoc vult: cum vetere amico potius in gratiam redi, quam ut novam cum alio amicitiam contrahas.

Miseri est, modo hunc, modo alium sibi facere amicum.

vs. 714. σὲ δὲ μή τι νόον κατελεγχέτω εἶδος probabiliter explicuit Melanchthon: Ita cum amico in gratiam redi, ut neque in animo, neque in vultu supersint ulla simultatis indicia; aliis verbis: in gratiam cum amico rediturus, vultum ei offer placidum ac serenum, non eum, qui latentis adhuc simultatis indicia prodat.

vs. 716 integrum refert Schol. Pindari P. IV. 507. κακῶν ἕταρον inde citant Schol. Ven. ad Il. Ω. 63. et Eustath. p. 1339, 32., apud quem ad Il. p. 793, 10. ὁ παρ' Ἡσιόδῳ νεικεστὴρ memoratur.

vs. 717 cum seq. citant Plutarchus de Aud. Poët. p. 22. F., Stobaeus XCVII. p. 518. CXI. p. 582. Οὐλομένην πενίην ex h. l. Etym. M. p. 641, 22. Hesiodum imitatus est Theognis (Welck. v. 111.) Μή ποτέ τοι πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ χολωθεὶς Μηδ' ἀχρημοσύνην οὐλομένην πρόφερε.

vs. 718. μακάρων δόσιν] Similiter fortunam adversam θεοῦ δόσιν vocat Euripides in Alcest. v. 1064. Conf., qui Veterum plura huiusmodi citat, Wyttenb. ad Plutarchi l. c.

vv. 719 seq. citat A. Gellius N. A. I. 15. hac praemissa explicatione: »Hesiodus poëtarum prudentissimus linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde ut thesaurum, eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta et parca et modulata sit:" ubi *modulata* accipiendum, modulo seu mensura, certaque ratione (κατὰ μέτρον) in loquendo utens, ut est N. A. I. c. 1. *modulari* pro, modulo metiri. Itaque Gellium reprehendere non debebat

Graevius. Citat eosdem versus, sed resolutis numeris et sine poëtae mentione etiam Eustath. de Ismeniae et Ismenes Amoribus I. p. 29. Conf. Hier. Boschius ad Anth. Gr. I. 52. Ep. 1.

Goettlingius literâ maiusculâ in quorundam hîc versuum initio positâ videtur indicare voluisse, praecepta nos hîc habere, nullo inter se cogitationis nexu iuncta. Sed ut linguae peccatum committitur tam ab eo, qui pauperi conditionem suam exprobrat v. 717 seq. quam ab iurgante cum bonis v. 716., ita post eam peccatorum, quae lingua committuntur, mentionem satis apte subiicitur generalius hoc de modesto linguae usu praeceptum.

Versûs 721 priora citat Schol. Ven. ad Il. Υ. 248.

vs. 722 cum seq. citat Athenaeus VIII. p. 364. D.; sine illo Schol. A. V. ad Il. Π. 748. et Eustath. ad Il. p. 1084, 4. ob δυσπέμφελος, quod vocabulum, ut Hesiodeum, memorat idem etiam p. 1065, 3. explicans δυσάρεστος, δύςκολος, δυσμετάπεμπτος. Conf. supra dd. ad v. 618. Citatur v. 723 ab Eustathio ad Od. p. 1412, 62, memorante ἐκ κοινοῦ ex h. l. etiam ad Il. p. 1085, 48., quo respexit item p. 606 extr. Verborum nexus est: μηδὲ δυσπέμφελος εἶναι πολυξείνου δαιτὸς ἐκ κοινοῦ: reddendum autem: *Ne sis parum facilis collator convivii, quod multi amici ex communi instruunt.*

vv. 724 seq. μηδέ ποτε ἐξ ἠοῦς κ. τ. λ.] Videtur mentio convivii, quod nullum erat sine libatione, poëtam impulisse, ut praeceptum subiiceret de eo, quod observandum esset in matutina libatione, cui consequens fuit, ut subnecteret alia, item ad debitam Diis reverentiam reddendumque iis honorem pertinentia. Moris fuisse, ut summo

mane Diis libarent, colligitur etiam e versibus supra 382 seq. Docet iam Hesiodus, non faciendum illud nisi lotis ante manibus. Conf. Broukhus. ad Tib. II. I. 14.

vs. 727. μήδ' ἀντ' ἠελίου κ. τ. λ.] Soli, ut Deo (Th. v. 371.), honos habendus erat: itaque neque obscoeni quidquam coram eo faciendum. Fuit quoque in Pythagorae Symbolis: πρὸς Ἥλιον τετραμμένον μὴ ὀμιχεῖν. Est ὀρθὸς h. l. *stans erectus*, ut apud Hom. Il. Σ. 246. Ceterum non universe improbat Hesiodus, si quis stans mingat, sed tantum, si quis ad solem conversus hoc faciat. Hortatur autem deinde fratrem, ut neque post solis occasum, sive in via, sive extra viam, inter eundum mingat, aut pudenda inverecunde nudet, Diis tunc obambulantibus in terra.

E versu 729 ἐκτὸς ὁδοῦ citat Eustath. ad Il. p. 667 pr. ad ἀποπατεῖν id referens.

vs. 731. ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνὴρ subaudiendum ὀμιχεῖν. Ceterum hoc vult: si iuxta non sit paries, ad quem congressus stans mingas, subsidens, clunibus ad talos demissis, more mulierum mingas. Id Hebraei vocabant *pedes tegere.* Vid. Deuter. XXXIII. 13. Iud. III. 24. I. Sam. XXIV. 4. Praeceptum autem Hesiodi, quo subsidere ad mingendum, ubi paries non adsit, vir iubetur, tantum ad noctem pertinet, in qua metus esset, ne quis ὀρθὸς vel προβάδην ὀμιχῶν Deum aliquem, noctu per terram obambulantem, turpi contumelia afficeret. De die enim viri in Graecia non fungebantur eo negotio καθήμενοι s. ἑζόμενοι, quod, hac in re quoque ab iis discrepantes, Aegyptii faciebant, teste Herodoto II. 35.

Ad ὅγε et ad θεῖος ἀνὴρ offendit Hermannus l. c. p. 249.,

quorum hoc adeo ridiculum dicit, itaque legendum coniicit: *ἑζόμενος δ' ὄνθειος, ἀνήρ, πεπνυμένα εἰδὼς sedens in sterquilinio* cet.! Causam equidem non video, cur magis ridiculum habeatur θεῖος ἀνὴρ h. l., quam apud Homerum θεῖος ὑφορβὸς et similia, praesertim cum agatur de observanda debita Diis reverentia. Neque incommodum mihi videtur ὅγε. Valet enim: *qui quidem religiosus et officii erga Deos memor sit.*

vs. 732. ἢ ὅγε πρὸς τοῖχον κ. τ. λ.] Plinius XXVIII. c. 6. s. 19. *Magi*, inquit, *vetant* (urinae reddendae causa) *contra Solem Lunamque nudari. Hesiodus contra obstantia reddi suadet*, *ne Deum aliquem nudatio offendat.*

vs. 734. ἑστίῃ ἐμπελαδὸν] ἑστίη *focus* sacer habebatur eiusdem nominis Deae. Vid. Hom. H. in Vest. et Mercur. Cic. de N. D. II. 27., unde neque coram foco quidquam admittendum erat obscoeni. Conf. Casaub. ad Sueton. Tib. c. 58.

ἑστίη s. ἱστίη mediam habet productam. Itaque pronunciatum hîc fuit ἑστί' ἠμπελαδὸν.

vv. 735 seq. Inter multa, quae hac Carminis parte continentur, superstitiosa minime absurdum est hoc, quo iubetur quis procreandae proli potius operam dare laetus ab epulo post sacrum Diis factum, quam tristis a funere celebrato rediens. Conf., qui hunc versum citat, Plutarchus de S. N. V. p. 562. A.

vs. 737—741. Fluviis etiam, quippe Diis, honor habendus erat, qui proinde non ante transeundi pedibus, ut in Graeciae fluviis frequenter fiebat, (conf. Apollon. Rhod. I. 9 seqq.) quam prece quis eos veneratus esset, haustaque

inde aqua manus sibi lavasset: neque enim impune fore ei, qui hoc neglexisset. Versum 741, in quo hoc traditur, cur abesse velit Goettlingius, equidem non intelligere me fateor.

vv. 742 seq., ut Hesiodeos, citant Plutarch. de Is. et Osir. p. 352. E., Etym. M. p. 127, 39. Zonaras p. 243., hic tamen omissa posteriore versûs 743 parte. Priora eius cum Hesiodi mentione habet Suidas v. *αὖον*.

Est *πέντοζος* (Etymologo M. *πεντάκλαδος*) manus, cuius tanquam *ὄζοι* sunt digiti, in quibus *αὖον* est *τὸ ἄκρον τοῦ ὄνυχος*, sicca pars, digitum superans, *χλωρὸν* pars eius inferior, carni adhaerens et viva. Quod rusticitatis etiam nunc haberetur, ungues sibi resecare in convivio, Veteribus *θεῶν ἐν δαιτὶ* notam velut impietatis incurrebat. Dixit etiam Pythagoras in Symbolis: *παρὰ θυσίαν μὴ ὀνυχίζειν*. Vid. Diogenes Laërt. VIII. 17.

vs. 744, ut Hesiodi, cum *πινόντων* in seq. versu citat Plutarch. de Aud. Poët. p. 28. B., eodem respiciens in Sept. Sap. Conv. p. 156. E. Dicebatur *οἰνοχόη* vas, quo haustum vinum ex cratere, in quo temperatum erat, convivis in pocula infundebatur. Vid. Pollux VI. 19. X. 75. Hoc Hesiodus super craterem poni vetuit, quod in ea re malum esset omen. Quippe ita clauso cratere convivis quasi interdicebatur, ne porro biberent et genialibus epulis quasi finis imponebatur. Conf. Wyttenbach. ad Plutarchum ll. cc. Est *πινόντων* genitivus absolutus, valetque *bibentibus* sc. convivis, sive *inter bibendum*. Ita est *δειπνούντων* pro *coenantibus* in versu Alexidis apud Athen. VII. c. 124. p. 324. C.

vs. 746 seq. Cornicem inauspicatae garrulitatis avem Veteres credebant. Vid. Plin. X. 12. Itaque statuisse etiam

videntur, cornicem aedibus imperfectis insidentem, ibique crocientem, aedium domino triste auspicium facere de non perficiendis ab illo aedibus. Quod si dominus diu imperfectam domum relinqueret, facilius fieri poterat, ut ei insideret cornix crociens, quare vetuit poëta diu imperfectam relinquere. Ad ἀνεπίξεστον h. l. respicit Themistius Or. XXVI. p. 322. B.

vs. 748 integrum, ut Hesiodi, citat Pollux X. 99.; priora, eius ad ἀνεπιῤῥέκτων Plutarchus Conv. Quaestt. VII. p. 703. D. Erat χυτρόπους olla pedata, cui stanti subdebatur ignis, ut in ea vel cibum coquerent, vel aquam ad lavandum calefacerent. Vetat autem poëta ex huiusmodi ollis vel cibum capere, vel ad lavandum aquam, nisi prius inde oblata Diis libatione. Conf. Plutarchus l. c. et apud Proclum ad h. l.

vs. 750. μηδ' ἐπ' ἀκινήτοισι κ. τ. λ.] Etym. M. p. 48, 35 seqq. ἀκίνητα καθ' ὅλον μὲν τὰ μὴ κινούμενα· παρ' Ἡσιόδῳ δὲ ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις, ὁ τάφος· μηδ' ἐν ἀκινήτοισι καθίζειν. De sepulcris intellexit etiam Eustath. ad Il. p. 349. pr., vulgoque sic acceptum fuisse tradit Proclus ad h. l., qui tamen addit: μήποτε κάλλιον Πλούταρχος, ὅτι μὴ δεῖν τὰ νεογνὰ ἀκίνητα ἐᾷν καὶ ἀποτίθεσθαι ἐν ἀκινήτοις· ἀσθενέστερα γὰρ γίνεται. Neutra explicatio mihi probabilis videtur. Verum quidem est, ἀκίνητα eximie dici potuisse busta; (vid. citatus a Goettlingio Zenobius Prov. I. 56.) tum et, stare vel sedere in bustis ominosum Veteribus habitum fuisse (vid. VV. DD. ad Theophr. Charact. c. 17.). Cum vero hoc illi in omnibus et omni vitae tempore ominosum habuerint et Hesiodus hîc eximie puerum δυωδεκαταῖον vel δυωδεκάμηνον καθίζειν ἐπ' ἀκινήτοισι vetet, videntur ἀκίνητα hîc potius intelligenda esse quaevis

immobilia, quae quasi participes naturae suae pueros, itaque *ἀνήνορας inertes* reddere, si in iis *δυωδεκαταῖοι* vel *δυωδεκάμηνοι* ponerentur, superstitione eius aevi credebantur. Quo minus autem Plutarchi sententia admittatur, pariter obstat, quod non solum *δυωδεκαταίοις* vel *δυωδεκαμήνοις* pueris, sed omni pueritiae tempore omnibus minus salubre est, ut immobiles relinquantur. Itaque repetendum potius praeceptum a superstitione quadam, infaustum in tali re duodenarium numerum habente.

οὐ γὰρ ἄμεινον formula est dehortantis, de qua vide D. Heins. ad h. l. et Wesseling. ad Herod. I. 187. Similiter infra v. 759. *τὸ γὰρ οὔ τοι λώϊόν ἐστιν:* et sic Latini quoque: *melius erit non facere.* Vid. VV. DD. ad Livium III. 41.

vs. 752 spurium censet Hermannus l. c. p. 250. ob correptam priorem in *Ἶσον*. Offendas quoque ad *δυωδεκάμηνον Fίσον*. Fuitne *ἐπεὶ Ἶσον τὸ τέτυκται*?

vs. 753 citat, ut Hesiodi, Clem. Alex. in Paedag. III. c. 5. communia suo tempore viris et mulieribus reprehendens balnea. Ceterum Hesiodi praeceptum non a cura pudicitiae, ut etiam Scholiastae volunt, sed a superstitione quadam profectum videtur. Nescio, an crediderit, ex tali balneo virum reddi pariter *ἀνήνορα*, non, ut Goettlingio placet, quod esset *θερμὸν*, vel quale describitur supra v. 522., sed quod *γυναικεῖον*.

vs. 756. *ἀΐδηλα* Scholiastae varie explicant, vel, ut sint *μυστήρια*, qualia multa erant in sacris, vel, ut notet *μάταια*, vel, ut adverbialiter accipiatur pro *ἀδήλως* et sic vel cum *νεμέσσᾳ* iungatur, vel cum *μωμεύειν*. Prima explicatio prae ceteris placuit tum Interpretibus Latinis, inde a

Basileensi reddentibus *arcana*, tum Clerico Lanzioque et recentius Buttmanno, quem vide in Lexil. I. p. 248 seq. idque et ego amplector cum Goettlingio. Opportune Lanzius contulit haec Petronii c. 17. *Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque et oro, ne nocturnas religiones iocum risumque faciatis, neque traducere velitis tot annorum secreta, quae vix ulli homines noverunt.*

Versu 757 et sequente traditum praeceptum respicit Chrysippus apud Plutarch. de Stoic. Repugn. c. 22. p. 1045. A. Ceterum, Proclo teste, Plutarchus (in suis ad Hesiodum Commentariis) ταῦτα διέγραψεν ὡς εὐτελῆ καὶ ἀνάξια παιδευτικῆς Μούσης, cui non temere Proclus obiicit, potuisse tamen ob quorundam rusticitatem necessarium poëtae visum esse id praeceptum. Quod Herodotus I. 138. tradit, apud Persas fluviis hanc habitam reverentiam fuisse, ut neque immeierent iis, neque inspuerent, indicare videtur, Graecis id tam religiose observatum non fuisse, et tamen e fluviis maxime et fontibus probabatur iis ac petebatur ad bibendum aqua, sanctioresque iidem, quo rariores habebantur, ut in iis οὐρεῖν, vel ἀποψύχειν non modo spurcum, sed pene impium videri debuerit. Fuerat autem sane opportunior tradito hîc praecepto locus post v. 741, ut pene dicas loco suo motos versus 751—759, cum a librario per socordiam omissi, deinde appositi in margine fuissent.

μηδέ ποτ' ἐν προχοῇ κ. τ. λ.] προχοὴ plerumque dicitur *fluviorum ostium*, sed hîc universe notat *fluentum*, *alveum*, quo sensu legitur etiam apud Apollon. Rh. I. 11. II. 906. Dionys. Perieg. 1072. Ποταμοὶ ἅλαδε προρέοντες sunt maiores fluvii; κρῆναι autem, fontes, rivuli.

vs. 759. μηδ' ἐναποψύχειν respicit Etym. M. p. 127,

17. et p. 337, 31. Eustath. ad Il. p. 886, 27. p. 1253, 62. ad Od. p. 1964, 30.

vv. 760—764 Goettlingio post additi videntur. Censuit igitur ab aliquo rhapsodo additos, multum ab eius iudicio dissentientibus Veterum multis, mox citandis, qui tribuere illos Hesiodo non dubitarunt; neque, cur Hesiodei non habeantur, aut a Goettlingio indicatur, aut a me excogitari causa potuit.

vs. 760. ὢς ἔρδειν, i. e. *haec*, quae te monui, *observa*, intercedente cogitationis hoc cum sequentibus nexu, *curaque, ne contra faciendo malam hominum famam incurras.*

δεινὴν δὲ βροτῶν ὑπαλεύεο φήμην, ut Hesiodi ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις citat Etym. M. p. 60, 15 seq.

vv. 761 seq. κούφη μὲν ἀεῖραι κ. τ. λ. Eleganter fama comparatur oneri, quod sublatu quidem leve, portatu vero grave, depositu autem difficile sit.

vv. 763 seq. citant Aeschines contra Timarch. p. 18. de fals. Leg. p. 47. Demosth. de falsa Leg. p. 417. Aristot. Eth. Nicom. VII. 14. Eudem. VI. 13. Dio Chrysost. Or. XXXVII. extr. Aristides T. II. p. 150. Iebb. p. 201. Dind. Schol. ad Aeschyli Agam. v. 913.

vs. 764. θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή. Itaque adiecit hîc eam poëta ad memoratos ipsi in Theogonia Deos. Respicit locum Synesius Ep. 44. fortasse et Libanius Ep. 1001. Famae, tanquam Deae, sacra Athenienses fecisse, auctor est Aeschines ll. cc. Conf. Wesseling. ad Herod. IX. 101.

vv. 765 seqq. Ἤματα δ' ἐκ Διόθεν κ. τ. λ.] Esse dierum alios faustos, alios infaustos, et faustorum alios ad aliam rem agendam, constans fuit antiquitatis opinio, quamvis pro diversis seculis et locis varia fuerint hominum super certis diebus, vel faustis vel infaustis habendis, iudicia. Ceterum in primis semper agricolae fuerunt, qui multum opinioni illi tribuerent, plurimamque eius rationem haberent. Itaque Hesiodum etiam videmus post praecepta de agricultura tradita hac postrema carminis sui parte pro sui seculi suâve ipsius opinione exponere, qui dies mensis prae ceteris ad certas res agendas utiles habendi eligendique sint, referentem etiam subinde, qua de causa certus dies vel faustus vel infaustus sit (vid. vv. 771, 776, 803.), quamvis in universum felicitatis vel infelicitatis dierum causas ab Iove repetat, versu hîc 766 et mox v. 769. Hesiodum imitatus est, sed ita, ut sui seculi opinionem referret, quaque decebat eum temperantia, Virgilius, ad cuius I. G. 276. videndus Servius, qui versus ex h. l. citat 765 et duo sequentes.

vs. 766. πεφραδέμεν δμώεσσι κ. τ. λ. i. e. *Indica servis*, tricesimum mensis diem illum esse, quo distribuere iis herus debeat demensum, postquam opera eorum inspexerit, illique rei destinandum hunc diem, ut optimum, exacto tum demum mense, ubi quidem populi, verum discernentes, tricesimum mensis diem agunt, iustum sic dierum numerum mensi tribuentes. Demensum servi apud Romanos accipiebant ipsis Kalendis (vid. Plautus in Sticho I. II. 3.); apud Graecos, ut videtur, ultimo mensis die: sed in quibusdam mensibus erat is nonus et vicesimus. Voluit autem Hesiodus, omnes menses esse triginta dierum, seque ita statuere statim ab initio huius quasi Kalendarii declaratum voluit. Servis autem id indicare ideo herum iussit, ne for-

tasse illi iam nono et vicesimo die exspectarent, quod tricesimo demum die praestandum erat. Verum hîc vidit Rankius de Hesiodi Opp. p. 18., quamvis dissentiat Goettlingius ad h. l., neque, ut hic censuit, distingui potest post πεφραδέμεν, quod est *indica*. Vid. Heyn. in Comment. ad Il. Ξ. 335.

Diogenes Laërtius I. 24. Thaletem primum fuisse tradit, qui τριακάδα tricesimum mensis diem diceret, sed falso sic tradi arguit locus hic Hesiodi.

vs. 768. εὖτ' ἂν ἀληθείην λαοὶ κρίνοντες ἄγωσιν] Docet hic versus, Hesiodi tempore non omnes Graeciae populos hunc, quem agerent, tricesimum diem habuisse, cum apud quosdam mensis tantum esset dierum viginti octo, vel viginti novem, qui populi sic, iudice Hesiodo, verum non discernerent. ἀληθείην κρίνειν tantum de iudice dici, temere, ni fallor, statuit Goettlingius.

vs. 769. αἵδε γὰρ ἡμέραι κ. τ. λ.] Pertinet γὰρ ad remotius in superioribus ἤματα δ' ἐκ Διόθεν πεφυλαγμένος· sed non erit, quo pertineat, si, quod Guyetus censuit, superiores quatuor versus spurii sint habendi.

εἰσὶ Διὸς παρὰ μητιόεντος, i. e. certam ac definitam ab Iove rationem habentes, cum alii sint ἀκήριοι, nihil habentes certi, infra v. 823.

vs. 770. πρῶτον ἕνη, τετράς τε καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ] Guyetus tricesimum mensis diem ab Solone ἕνην καὶ νέαν dici recordatus, hîc ἕνην esse τριακάδα censuit. Quippe reiecit ille versus quatuor superiores, in quibus τριακάδος mentio facta, ut spurios. His autem servatis, Goettlingius tamen ipse quoque hîc ἕνην diem esse vult tricesimum. At

vix verosimile est, Hesiodum, quem diem modo *τριακάδα* dixerat, hîc *ἔνην* dixisse; magis vero simile, hîc in dierum recensu secundum temporis ordinem (vv. 770—774.) primo loco memorari primum, ut *ἔνην* cum Scholiastis interpretatus est Scaliger. Accedit, quod *νουμηνία*, ut *ἑβδόμη*, sacer Apollini dies habebatur. Vid. Schol. ad Od. Υ. 155. Eustath. ad Od. p. 1887, 22 seqq. citandusque mox Schol. Aristoph. ad Plutum. Itaque etiam Lacedaemone tam primo quam septimo cuiusque mensis die sacrum Apollini fiebat, teste Herodoto VI. 57.

Memoratam in hoc versu *τετράδα* diem se auspicatissimum habere plenius declarat poëta infra v. 797 seqq. *Τετράδι τῇ προτέρῃ* natus Mercurius traditur H. Hom. in Merc. 19. Itaque, ut refert Schol. Aristoph. ad Pl. 1127. *ἡ τετρὰς ἐνομίζετο Ἑρμοῦ καὶ καθ' ἕκαστον μῆνα ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἀπετίθεντο τῷ Ἑρμῇ· ἔξω γὰρ τῶν ἑορτῶν ἱεραί τινες τοῦ μηνὸς ἡμέραι νομίζονται Ἀθηνῆσι θεοῖς τισὶν, οἷον νουμηνία καὶ ἑβδόμη Ἀπόλλωνι, τετρὰς Ἑρμῇ καὶ ὀγδόη Θησεῖ.* Conf. Plutarchus Conv. Quaest. IX. 3. p. 404.

Versum 700 ob *ἑβδόμη* integrum citat Clemens Alex. Strom. V. p. 713. et hinc Euseb. Praep. Euang. XIII. c. 12.

vs. 771. *τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ*] Hinc *ἑβδομαγενὴς* a vatibus et sacerdotibus Apollo dictus, teste Plutarcho Conv. Quaest. VIII. I. 2. p. 717. D.

χρυσάορος epitheton est Apollinis etiam apud Homerum Il. E. 509., de quo docte et prudenter disputat Heynius in Comment. ad illum locum. *Aureo ense armatum* omnes Interpretes h. l. reddiderunt. *Armatum auro* cautius reddas cum Virgilio III. Aen. 517.

Versum hunc 771 citat Proclus in Timaeum III. 200.,

qui de festo, Athenis septimo mensis die in honorem Apollinis habito, conferendus ad h. l.

vs. 772. ὀγδοάτη τ' ἐνάτη τε] Fuit octavus mensis dies Neptuno sacer, ut quidem auctor est Proclus ad v. infra 790, ubi recurrit huius diei mentio, quemadmodum super nono die multus est poëta infra vv. 811—813. Virgilio I. G. 286. dicitur *nona fugae melior, contraria furtis.*

δύω γε μὲν ἤματα μηνὸς] intelligendum ex superioribus εἰσὶ Διὸς παρὰ μητιόεντος. Itaque poëta hoc vult: sunt ab Iove auspicati ad curandum opera mortalium, ut in prima parte mensis, sive trium mensis decadum prima, dies primus, quartus, septimus, octavus et nonus, ita μηνὸς ἔξοχ' ἀεξομένοιο, in altera dierum decade, cum valde iam increvit luna, dies quidem certe undecimus et duodecimus. Moschopulum, quam Proclum ad h. l., sequi maluerunt Guyetus et Spohnius, ἔξοχα non cum ἀεξομένοιο, sed cum πένεσθαι iungentes, ἔξοχά (ἐστι) πένεσθαι· parum recte! Goettlingium, ἔξοχα et cum πένεσθαι et cum ἀεξομένοιο iungentem, miror magis, quam sequor.

βροτήσια vocabulum est Hesiodeum, non Homericum.

Citat v. 772, sed vitiose, Zonaras p. 433. et hinc Phavorinus in γέμεν, quasi hoc sit ἐγένοντο.

vv. 774 seqq. ἄμφω γε μὲν ἐσθλαὶ κ. τ. λ.] i. e. ambo quidem dies boni sunt, tum ad pecora tondenda, tum ad segetes metendas: attamen duodecimus multo melior est undecimo: namque illo die bonum quasi omen et indicium facit tondendae quidem lanae, textrinoque operi aranea, tum maxime nendo occupata, metendis autem frugibus formica acervum colligens.

vs. 775. ἤμὲν ὄϊς πείκειν, ἠδ' εὔφρονα καρπὸν ἀμᾶσθαι citat Scholiastes Theocriti ad Id. V. 98. ob πείκειν, ab utroque poëta dictum pro κείρειν. Est sic etiam in antiqua lege apud Athenaeum IX. 17. p. 375. B. πρόβατον ἄπεκτον *ovis intonsa.*

Crescente, non decrescente luna tondendas oves etiam Varro praecipit de R. R. I. 37. Super metendis autem frugibus ab Hesiodo dissentit.

Heynium in Comment. ad Il. Ω. 165., affirmantem, ἀμᾶσθαι apud Hesiodum nonnisi prima producta inveniri, fugiebat hic locus et infra v. 778. Fuit autem in hoc verbo prima syllaba natura sua brevis, ut in ἅμα, sed poterat ea geminatum efferendo μ produci, ut factum supra v. 392, 480.

vs. 777 citat integrum, ut Hesiodi, Suidas in v. νεῖν· verba autem inde νεῖ νήματ' Etym. M. p. 603, 35. νεῖ νήματ' ἀράχνης Eustath. ad Il. p. 1166, 57., qui ad νεῖ h. l. respicit etiam ad Od. p. 1436, 34.

ἀερσιπότητος ἀράχνης hinc citant Thom. Mag. in v. ἀράχνη, Etym. M. p. 135, 1. Eustath. ad Il. p. 420. p. 1160, 39. p. 1312, 4. Ad ἀράχνης respicit etiam Suidas in v. ἀράχνη et Lexic. S. Germ. Rhet. Soph. apud Bekker. Anecd. Gr. p. 442.

ἀερσιπότητος hîc est *quasi volatu* (ποτῇ) *in sublime se attollens*, ut in Sc. v. 316. κύκνοι ἀερσιπόται sunt *altivolantes.*

vs. 778. ἤματος ἐκ πλείου *die expleto* Basileensis reddidit, et hinc alii usque ad Graevium, qui *die adulto*, obsecutus Scaligero de Em. Temp. I. p. 4. Probans hoc etiam Clericus »Gallice, inquit, ad verbum exprimas *en plein jour*, hoc est *medio die*.” Sed araneam iam sub ortum solis telam inchoare tradit Aristoteles H. A. IX. c. 26, 5.

Schneid., neque formicae, ut operentur, medium diem exspectant, quas vel noctu plena luna operari tradit Plin. XI. 30. Itaque ἤματος ἐκ πλείου potius accipias, ex quo dies factus est πλεῖος *longus*, ut significet poëta diem duodecimum non quemvis, sed aestivi mensis, quo tempore etiam tondentur oves, metuntur segetes.

ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται] Zonaras p. 1086. ἴδρις ὁ μύρμηξ παρὰ Ἡσιόδῳ· ὅτε τ' ἴδρις σ. ἀμ. σωρὸν τὸν καρπὸν λέγει. Habet eadem Phavorinus. Dicta ἴδρις hîc eximie formica ob singularem eius prudentiam, qua sibi in futurum prospicit, ut omnino poëtis Graecis antiquissimis mos fuit animalia denotandi nomine, significante aliquid in iis peculiare ac praecipuum. Exemplo sint κερδὼ vulpes, πτὼξ lepus, τρήρων columba, supra φερέοικος cochlea, ἀνόστεος polypus.

vs. 780. μηνὸς δ' ἱσταμένου κ. τ. λ.] Dicitur Hesiodo μὴν ἱστάμενος ad plenilunium, φθίνων a plenilunio. Die decimo tertio mensis, igitur paulo ante plenilunium plantationi optimum esse, docet poëta, minime autem utilem sationi, de cuius rei causa disputantem vide, si lubet, Plutarchum apud Proclum ad h. l.

vs. 782. ἕκτη δ' ἡ μέσση] Huc respiciens Pollux I. 63. Ἡσίοδος μὲν ἕκτην μέσην φησὶ, τὴν ἕκτην καὶ δεκάτην λέγων, ut ibi legendum cum Sebero.

vs. 783. κούρῃ δ' οὐ σύμφορός ἐστι κ. τ. λ. Illo die *puellae neque nasci bonum est, neque nubere.* γενέσθαι male, ut puto, Interpretes reddiderunt *gignendae*, quamvis ad generandi actum etiam Proclus retulerit, multum hîc disputans de diversa ἀῤῥένων καὶ θηλέων σπερμάτων natura,

atque inde diem hunc dicens *ἄῤῥεσι μὲν σπέρμασι σύμφορον, θήλεσι δὲ ἀσύμφορον*.

vs. 785. *οὐδὲ μὲν ἡ πρώτη ἕκτη κ. τ. λ.* Proclus ad h. l. *τὴν πρώτην ἕκτην ἀνεπιτηδείαν πρὸς κόρης γέννησιν εἶναι βούλεται καί τοι τῆς Ἀρτέμιδος οὖσαν ἱερὰν, ὡς γενέθλιον τῆς θεοῦ.* Scilicet sexto die mensis Thargelionis natam Dianam Delii ferebant, teste Apollodoro apud Diog. Laërt. II. 44. Incertum autem, an super hac re cum Deliis consenserit Hesiodus, atque adeo, an de natali Dianae cogitaverit h. l. ut omnino, nisi quibus locis ipse sententiae suae causam exponit, frustra quaeritur, qua de causa diem aliquem alicui rei faustum dixerit.

vv. 786 seq. *ἀλλ' ἐρίφους τάμνειν καὶ πώεα μήλων — ἤπιον ἦμαρ.*] Notat Lanzius, dissentire ab Hesiodo Plinium XVIII. 32. et Columellam XI. 2. ubi vide.

vs. 788. *φιλέει δε τε κέρτομα βάζειν*, i. e., si Proclum et cum Spohnio Goettlingium audias, puer, qui eo die natus sit. Sed quidni ipse dies dicatur hoc amare?

vs. 792. *εἰκάδι δ' ἐν μεγάλῃ κ. τ. λ.*] Quod *εἰκάδας* pl. numero memoret Aristophanes in Nub. v. 17, hinc *εἰκάδα μεγάλην* h. l. dici vicesimarum in mense ultimam, statuit D. Heinsius, quem sequitur Spohnius ad h. l. Sed Hesiodus nusquam *εἰκάδας* memorat *πληθυντικῶς*, et durum est *μεγάλην* interpretari *ὑστάτην*. Cum maiore, ni fallor, veri specie dicas, mensis diem significari, proprie dictum vicesimum, sed non cuiusvis mensis, verum eius, in quo dies anni longissimus, idque declarari illo *πλέῳ ἤματι*. Sic autem simplicissimum fuerit eodem *μεγάλην* referre, quamvis item referri possit ad eius diei excellentiam. Sed exi-

mie diem in trieteride s. anno magno significari, ut Goettlingius vult, non perinde mihi probabile videtur. Namque unde colligas, notam poëtae illam trieteridem fuisse? Neque Goettlingium sequar, ἵστορα φῶτα γείνασθαι reddentem: *eo die catum virum decet progignere pueros*. Malo equidem cum Hermanno l. c. p. 254. et aliis interpretari, *hoc die catum virum procreabis*, quando optime sequitur μάλα γάρ τε νόον πεπυκασμένος ἐστίν.

Versum 794 et tres sequentes Plutarchum ne mentione quidem dignos censuisse, eosque ita praetermisisse, ac si omnino in libris non ferrentur, testem habemus Proclum ad πεφύλαξο δὲ θυμῷ in v. 797.

vs. 795. ἐπὶ χεῖρα τιθείς, terga eorum attrectans et palpans. Confer, quos Lanzius citat, Columella VI. 2. Pallad. IV. 2.

vv. 797 seq. πεφύλαξο δὲ θυμῷ κ. τ. λ.] Constructionis difficultas, de qua queritur Hermannus l. c. quamque resolvere studet Goettlingius, nescio an optime solvatur, si in τετράδ' elisum non α, sed ι statuas, ut sit τετράδι, cuiusmodi exempla elisionis vide Il. Ξ. 205. Od. Γ. 440. Ceterum hoc dicit Hesiodus, cuius mentem bene cepit Plutarchus: diligenter observandum, ut diebus quarto, quartoque et vicesimo cuiusque mensis vitentur omnes actiones, quae molestiam ac taedium afferant; esse enim dies illos sacros, itaque potius hilariter transigendos. Miror Proclum, τετελεσμένον interpretantem τέλειον ἐς τὸ βλάψαι. Faustum diem significari arguunt supra v. 772 mox v. 800.

vs. 800. ἐν δὲ τετάρτῃ μηνὸς κ. τ. λ.] Proclus ad h. l. ἡ τετάρτη ἱερὰ Ἀφροδίτης καὶ Ἑρμοῦ. Scilicet Veteres Grae-

ci, teste Plutarcho in Coniug. Praec. p. 134. C. τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν.

vs. 801. οἰωνοὺς κρίνας κ. τ. λ.] Itaque non, nisi addicant aves. Solitos Veteres ἐν τοῖς γάμοις μετὰ τὸν Ὑμέναιον τὴν κορώνην καλεῖν, tradit Aelianus de Nat. An. III. 9. Alias aves in hac re faustas vel infaustas memorat Tzetzes ad h. l. Nota sunt Romanorum in nuptiis auspicia, quae antiquitus reapse petebantur, ut tradit Val. Max. II. I. 1. unde proprie Catullus LXI. 20. *bona cum bona Nubit alite virgo.*

vv. 802 seqq. respicit Lydus de Mensibus IV. § 52. de infausto agens numero quinario. Ad hunc quoque versum pertinet, quod Schol. ad Eurip. Phoen. v. 4. scribit: Ἡσίοδόν τινας τῶν ἡμέρων ἀποφαίνειν πονηράς· eodemque spectant haec Plutarchi in Camillo c. 19. περὶ δ' ἡμέρων ἀποφράδων εἴ τε χρὴ τίθεσθαί τινας, εἴτε μὴ ὀρθῶς Ἡράκλειτος ἐπέπληξεν Ἡσιόδῳ, τὰς μὲν ἀγαθὰς ποιουμένῳ, τὰς δὲ φαύλας, ὡς ἀγνοοῦντι φύσιν ἡμέρας ἁπάσης μίαν οὖσαν, ἑτέρωθι διαπόρηται, ubi ἑτέρωθι referendum videtur ad Plutarchi in Hesiodum Commentarios.

Versu 802 cum πέμπται pl. numero, igitur omnes in mense quintae, vitandae memorentur, videtur etiam versu 803, ubi causa eius rei redditur, ἐν πεμπτῇ pariter de omni quinta intelligendum esse, ut dicantur Erinnyes diebus mensis quinta, quintadecima, quintaque et vicesima terram obire, iurisiurandi Deum vindicantes. Sic autem ridiculum fuerit, pro τινυμένας substituto γεινόμενον, tribus illis diebus natum Ὅρκον sibi informare. Sed demus ἐν πέμπτῃ posse de sola prima quinta intelligi, ut, quod vult Goettlingius, eo die natus censeatur Ὅρκος, alius sic existit

scrupulus, non apparente causa, cur ideo omnes quintae χαλεπαί τε καὶ αἰναὶ sint habendae. Frustra autem lectioni γεινόμενον praesidium quaeras in loco Virgilii I. G. 277. *quintam fuge: pallidus Orcus, Eumenidesque satae;* cum poëtam illum, quamvis ibi sine dubio loci Hesiodei memorem, tamen eum variare voluisse appareat, tum pro Horco, ignoto Romanis Iurisiurandi Deo, magis notum Orcum, Ἅδην sc., seu Plutonem, satis per epitheton *pallidus* declaratum, substituendo, tum quintâ die non hunc Orcum modo, sed Euminedes etiam satas dicendo, quod certe non dixit Hesiodus.

Apud Homerum Il. T. 260. memoratur idem, atque hoc loco, Erinnyum ministerium puniendi periuros, sed ὑπὸ γαῖαν, cum Hesiodus eas magis inducat, ut Ὅρκου in terra vindices ministras.

vv. 805 seqq. μέσσῃ δ' ἑβδομάτῃ Δημήτερος ἱερ. ἀκτ. κ. τ. λ. Confert Lanzius haec Plinii XVIII. 32. *Ventilari quoque et caedi frumenta circa extremam lunam iubent.*

Apud Virgilium I. G. 248. dicitur *septima post decimam felix et ponere vitem Et prensos domitare boves et licia telae Addere*, ubi, quas meminerat ab Hesiodo memoratas res, variis diebus 12, 13, 14 mensis peragendas (vv. 779, 780, 795 seqq.) in unum diem, ut eximie faustum iis, retulit decimum septimum, quem Hesiodus hîc aliis rebus faustum indicat.

vv. 807 seqq. ὑλοτόμον τε ταμεῖν κ. τ. λ.] De caedendis lignis senescente iam luna, ac serius quidem in mense, quam praecipit Hesiodus, videndi, quos item Lanzius citat, Varro de R. R. I. 37. Plin. XVI. 39. Columella XI. II. 11. Pallad. II. Tit. 22.

vs. 810. *εἰνὰς δ' ἡ μέσση ἐπιδείελα λώϊον ἦμαρ*] *decimus nonus dies pomeridianus melior.* Quod Proclus coniicit, spectasse haec ad morem Atheniensium vacandi illo die *καθαρμοῖς καὶ ἀποτροπαῖς* parum probabile videtur, neque explicat, cur sit *ἦμαρ λώϊον* post meridiem. Magis putem cum Lanzio, lucem his affundi per praeceptum Catonis de R. R. c. 31. *materiam omnem, quam effodies, luna decrescente eximito post meridiem*, ut simile quid obversatum Hesiodo censeatur.

vs. 811. *πρωτίστη δ' εἰνὰς πανατήμων κ. τ. λ.* non pro parte tantum bona, ut media nona, sed tota et omnino bona.

vs. 812. *ἠδὲ γενέσθαι et ad nascendum.* Male etiam hîc redditur ab Interpretibus *et ad generandum.* Sed possit hic sensus esse *τοῦ φυτευέμεν*, cum exstet eo significatu verbum in Sc. v. 29., ac nescio, an id quodammodo suadeant praecedens *ἀνθρώποισιν*, sequens *ἀνέρι τ' ἠδὲ γυναικί.*

vs. 814. In *τρισεινάδι μηνὸς* explicando variarunt iam antiquitus Interpretes, aliis *τρίτην εἰνάδα*, sive *τὴν εἰκοστὴν ἐνάτην*, aliis septimum et vicesimum diem explicantibus. Pariter in diversa abeunt recentiores. Mihi post praecedentem primae et mediae *εἰνάδος* mentionem tam apte sequi videtur tertiae *εἰνάδος* mentio, ut vix dubitem, quin *τρισεινὰς* hîc ita accipi debeat, ut *ter consul* apud Plin. in Paneg. c. 61. pro *tertium.*

vv. 815 seqq. Goettlingius duas recensiones hîc agnoscit, quarum altera habuerit Παῦροι δ' *αὖτε ἴσασι τρισεινάδα μηνὸς ἀρίστην* Ἄρξασθαί *τε πίθου καὶ ἐπὶ ζυγὸν*

αὐχένα θεῖναι Βουσὶ *καὶ ἡμιόνοισι καὶ ἵπποις ὠκυπόδεσσι·* altera *παῦροι δ' αὖτε ἰ. τρ. μ. ἀρ.* Νῆα *πολυκλήϊδα θοὴν εἰς οἴνοπα πόντον* Εἰρυμέναι· *παῦροι δέ τ' ἀληθέα κικλήσκουσι.* Itaque uncinis inclusit versus 815 et seq. Goettlingio suffragatus est Hermannus l. c., qui, insuper reiecto versu 819, iungendum et corrigendum statuit: *παῦροι δέ τ' ἀληθέα κικλήσκουσι* Μέσσην· *παῦροι δ' αὖτε μετ' εἰκάδα μηνὸς ἀριστήν*, ut, omissa *τετράδος* mentione, dicantur pauci ex vero diem mensis nonum medium (19) et nonum post vicesimum optimum vocare. Scilicet Viros Doctos, ut sic statuerent et novarent, primum impulit defectus copulae in v. 817, cui tamen facile medearis scribendo *νέα τε*: deinde post dictum *τρισείναδα μηνὸς ἀριστὴν ἄρξασθαι πίθου* subiecta *τετράδι δ' οἶγε πίθον* et sequentia de die quarto post vicesimam item fortasse ad relinendum eo die dolium referenda: quae profecto, si *ἄρξασθαι πίθου* v. 815. et *οἶγε πίθον* v. 819. prorsus idem significare censeantur, vix ab uno eodemque auctore profecta videri possunt. Sed fortasse non eadem utrique locutioni tribuenda est significatio, cum certe in *ἄρξασθαι πίθου* magis declaretur id, quod supra dictum v. 368. *ἀρξαμένου κορέσασθαι*, itaque ad satietatem potatio, quam quidem in *οἶγε πίθον*, quae verba, si per se spectentur, nihil notant, nisi *aperi* s. *reline dolium*, quamvis verosimile sit, iis subesse notionem etiam degustandi certe vinum. Fortasse igitur poëta in praeceptis circa vini dolium idem secutus est, quod in praeceptis circa naves, utque his pangendis bonam *τετράδα*, deducendis autem in mare, quod maius, optimam *τρισεινάδα*, ita aperiendo dolio quartum aliquem mensis diem, largiori autem ex aperto dolio potationi, quod item maius, pariter *τρισεινάδα* statuit. Ita, relictis omnibus, ut a Veteribus lecta sunt, iam etiam illa *παῦροι δέ τ' ἀληθέα κικλήσκουσι* for-

tasse non incommode referri poterunt ad vulgarem illum, quem Hesiodus supra v. 768. tetigit, multorum circa dierum in mense numerum errorem, ex quo, diem nonum et vicesimum mensis ultimum habentes ac dicentes, κικλήσκοντες, eo die peragebant, quae tricesimo demum die, quippe ultimo, peragenda erant. Fatendum tamen, remoto v. 819 admissaque in versu sequente Hermanni correctione, faciliorem fieri sententiae nexum. Namque interiecto illo non nimis commode in v. 820 ἀριστὴν ex κικλήσκουσιν in v. 818 pendere facias. Eo tamen, quo nunc est loco, lectus v. 819 iam a Proclo, qui ἀρίστην pendere vult ab intelligendo Ἴσασι.

vs. 820. μετ' εἰκάδα Schmidius cum Ioanne Protospathario *vicesimam primam* accipit, male. In loco, ut nunc sese habet, agi videtur de omnibus quartis, ut poëta dicat, aperiendum esse dolium quarto aliquo die, prae ceteris autem bonum esse medium (diem mensis 14); paucos vero scire, optimum diem esse τετράδα μετ' εἰκάδα, quartum post vicesimum, matutinum autem, non pomeridianum.

vs. 822. αἵδε μὲν ἡμέραι εἰσὶν ἐπιχθονίοις μέγ' ὄνειαρ] hae dies, de quibus dictum est, si omnes quintas excipias.

vs. 823. αἱ δ' ἄλλαι μετάδουποι, ἀκήριοι, οὔ τι φέρουσαι. Itaque dies mensis 2, 3, 18, 21, 22, 23, 26, 28.

μετάδουποι vocabulum est Hesiodeum, quod apud alios auctores frustra quaeras, cuius igitur significatio satis incerta est. Δοῦπος dicitur sonitus rei ad terram cadentis et allisae Il. Δ. 455. δεδουπὼς, qui cecidit, Il. Ψ. 679. Hinc, si Proclum et Moschopulum audias, μετάδουποι hîc dicuntur dies αἱ μεταξὺ τῶν ῥηθεισῶν πίπτουσαι. Sed af-

M 2

fertur et alia explicatio ἀβέβαιοι, quae non minus probabilis videri potest, cum μετὰ in compositis saepe mutationem significet. Sic est εὐμετάπτωτος, *qui facile mutatur*, ἀμετάπτωτος, *constans*. Vid. Plutarchus de Amic. Multit. p. 97. B. Vptoni Index in Epict. v. πίπτω. Ita μετάδουποι intelligi poterunt modo sic, modo aliter cadentes, modo fausti, modo infausti dies.

Ad ἀκήριοι Proclus: ὡς ἐπὶ ἀνθρώπων εἶπεν: ἄψυχοι ἢ ἀσθενεῖς (conf. Heyn. ad Il. E. 812.) ἢ μὴ ἔχουσαι εἱμαρμένην ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ. Postremum hoc tenendum cum Guyeto, qui κῆρα οὐκ ἔχουσαν explicat, in quem sensum etiam Schmidius reddidit *sine sorte*.

vs. 825. ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ citant A. Gellius XVIII. 12. Stobaeus CIII. p. 562. Suidas v. ἄλλοτε; respicit Eustathius ad Il. p. 560, 17. Ex Suida discas, in proverbium abiisse versum ἐπὶ τῶν πότε μὲν δυσπραγούντων, πότε δὲ εὐπραγούντων. *Versum longo hominum usu probatum* dicit Gellius: tum vero addit: *eo versu significatur, non omni die bene esse posse, sed isto bene atque alio male.* Eustathius autem Hesiodum dicere ait: τῶν ἡμέρων μητέρα τὰς χρηστὰς δηλαδὴ, τὰς δὲ μητρυιὰς εἶναι τὰς μὴ ἀγαθάς. Sed Hesiodi dictum in hoc, ut in praecedenti versu, intelligendum de diebus, v. 823 memoratis, ἀκηρίοις, nihil certi ferentibus, sed modo faustis, modo infaustis. Horum, inquit, eadem modo mater est, modo noverca. Simili metaphora Claudianus de Raptu Proserp. III. 33. de Natura querente: *Se iam, quae genitrix mortalibus ante fuisset, In durae subito mores transisse novercae*, ad quae memor fuit Hesiodi Claverius.

vv. 826 seqq. Iunge εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὃς εἰδὼς πάντα τάδε τάων (τῶν ἡμέρων) ἐργάζηται ἀναίτιος ἀθανά-

τοις κ. τ. λ., i. e. ut Proclus exponit, felix ille, qui gnarus operum, quae facere illum oportet, Diis inculpatus agat, Deorum voluntatem super incertis rebus per auguria consulendo, delicta autem, quibus certo sciat, se Deos offendere, effugiendo. Versum carminis ultimum omni cum antecedentibus coniunctione carere, atque aliunde huc reiectum esse, temere, ni fallor, statuit Goettlingius. Fuisse eum versum iam antiquitus h. l. arguit, quod, Proclo teste, quidam ei subiungebant ὀρνιθομαντείαν, quasi item ab Hesiodo compositam, reclamante Apollonio Rhodio.

Versum 828, ut videtur, respiciens, Eustathius ad Il. p. 1318, 18. vocabulo ὑπερβασίαι usum esse Hesiodum scribit, sed fallente eum memoria citat ὑπερβασίαι δ' ἀλεγειναί.

SVPPLENDA.

In vs. 175. μηκέτ', i. e. *non amplius*, ad sequens πρόσθε θανεῖν pertinere bene censuit Vollmehrus in Prolegg. ad suam Operum et Dierum editionem p. 47.

Ad vs. 196 pertinet glossa Hesychii κακόχαρτος· ὁ κακοῖς χαίρων.

vv. 298 et sequentes non dubium est quin respexerit, citatus a Vollmehro p. 56., Simonides fr. 20. p. 386. Schneidew.

In vs. 301, ut in vv. 374 et 411, καλιὴν poëta dixit domum: at vs. 307 καλιαὶ multitudinis numero magis esse videntur horrea; versu autem 305 sunt servorum tabernae. Hesychius καλιὴν τὸν οἶκον· κυρίως δὲ τὸν ἀπὸ ξύλων οἶκον. Plenius Scholia in Apoll. Rhod. I. 170. κυρίως ἡ ἐκ κάλων παρεσκευασμένη οἰκία, ἤτοι ἐκ ξύλων· κάλα γὰρ τὰ ξῦλα, ubi notetur κάλα scriptum παροξυτόνως, ut pariter apud Photium in Lex. in καλιὰ, utque scribendum praecipit Hesychius in v. Conf. Variae lectt. in v. 427.

p. 107. ad vv. 479—482. *post illa*, ut nulla fuerit librariis illud in χειρὸς mutandi causa, *adde:* nisi in causa fuerit hiatus, qui fortasse antiquitus minus offensionis habuit, si pronunciatum fuit χειρὶ FεFέργων.

Versuum 498 et seqq. memor quoque fuit Georgius Pachymeres in Decl. ined. VIII. ubi inducitur filius referens

monita patris sui, quibus hic ipsum absterrebat ab ignavia: ὁ γὰρ ἀργὸς, ἔλεγε, καὶ τοῦ ῥήματος μέμνημαι, πολλὰ κακὰ προσελέξατο θυμῷ. Loci indicium debeo Boissonadio, qui, nisi spes me fallit, brevi illas Declamationes edet.

Ad vs. 524 conferendus etiam Hesychius in ἀνόστεος et τένδει, qui utroque loco Hesiodea habuit ob oculos.

Ad vs. 530. ἀνὰ δρία βησσήεντα Φεῦγε, ut Hesiodi, citat Etymol. M. p. 287, 44.

Homericum est δρίος Od. Ξ. 353., ubi in Scholiis explicatur σύνδενδρον χώριον, δρυώδης καὶ σύσκιος τόπος. Conf. Hesych. in δρία, Zonaras p. 572. in δρία βησσήεντα.

In vs. 533. γλάφυ etiam ab Hesychio explicatur σπηλαῖον, ἄντρον.

Hesiodeum in vs. 571. Φερέοικος illustrant etiam Suidas, Photius et Hesychius.

In vs. 705 poëtae verba obversabantur etiam Georgio Pachymerae in Decl. ined. X. haec scribenti: τὶ τῶν κακῶν ἡ πενία οὐκ εἰσηγεῖται; ποῖον οὐκ ἀφανίζει τῶν ἀγαθῶν; ἂν ἄνδρα λάβῃ, εὕει δίχα πυρὸς καὶ νεανίσκον μὲν ὄντα γέροντα τίθησι.

In vs. 747 memorata λακέρυζα κορώνη explicatur ἡ μεγάλα κρώζουσα apud Suidam et Photium in v. Conf. et Hesychius in λακέρυζα. Adamavit hoc cornicis epitheton Hesiodus, si quidem eius sit, quod ad Aristophanis Aves v. 610 Scholia, ut Hesiodi, citant, ἐννέα γὰρ ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη.

CORRIGENDA.

In CONTEXTV *v.* 324. *lege* ἀναιδείῃ. *v.* 350. *l.* αὐτῷ τῷ. *v.* 355. *l.* οὔτις. *v.* 377. *l.* ὥς. *v.* 481. *l.* κεκονιμένος. *v.* 530. *l.* μυλλιόωντες. *v.* 556. *l.* θείῃ. *v.* 564. *l.* ἑξήκοντα. *v.* 570. *l.* περιταμνέμεν. *v.* 590. *l.* ἀμολγαίῃ. *v.* 598. *l.* δινέμεν. *v.* 754. *l.* πινόντων.

In VARIIS LECTIONIBVS *pag.* 3. *ad v.* 20. *lege* Flor. B. E. I. K. L. N. Neap. 1. 3. 4. Par. G. H. P. S. V. X. *ad v.* 22. *l.* ἀρόμεναι Flor. B. D. E. *ad v.* 23. *l.* τε abest a Flor. N. *p.* 16. *ad v.* 148 *in f. lege :* ἄκλαστοι legendum coniecit Wakefield. *p.* 23. *ad v.* 304. *l.* ζώει Flor. B. *p.* 46. *ad v.* 418. *l.* βαιὸς Neap. 2. *p.* 50. *ad v.* 449. *l.* κεκλιγυίης vitium est Graevianae. *p.* 62. *ad v.* 532. *l.* οἷ σκ. μ. π. κ. ἐλῶσι Brunckius legendum coniecit. *p.* 90. *ad v.* 775. *l.* ἠμὲν — ἠδ'.

In COMMENTARIO *p.* 6. *ad v.* 5. *lege* infra v. 244. *p.* 33 *init.* *l.* συλλογήν. *p.* 34. *ad v.* 123. *et p.* 125. *l.* πάντῃ. *p.* 46. *ad vv.* 191 *seq.* *l.* Parvula pumilio. *p.* 47. *ad v.* 194. *l.* ὀμεῖται δ' ἐπίορκον. *p.* 54. *ad v.* 229. *l.* πόλεμον τεκμαίρεται. *p.* 60. *ad vv.* 274—285. *l.* οἰωνοῖς. *p.* 62 *fin.* *l.* Tzetzes in Epist. ined. *p.* 63. *pro* vs. 295. *lege* vv. 295 seq. *p.* 75. *ad v.* 353. *l.* καὶ τῷ προσιόντι πρ. *p.* 86. *ad v.* 400. *l.* ζητεύῃς. *p.* 90. *ad v.* 411. *l.* καλιήν. *p.* 102. *ad v.* 466. *l.* ἀκτήν. *p.* 104. *versu* 5 *a fine,* *l.* κάνθων' ὑπὸ ζεύγλ. μεσ. *p.* 108. *ad v.* 481. *l.* κεκονιμένος. *p.* 109. *ad v.* 492. *l.* γινόμενον. *p.* 121. *ad v.* 536. *l.* ἔρυμα χροός. *p.* 141 *init.* *l.* αἱρεῖ. *p.* 142. *ad v.* 621. *l.* θύουσιν ἄηται. *p.* 148. *pro* vs. 651. *lege* 652. *p.* 149. *ad v.* 657. *l.* τριπόδων οὔατα. *p.* 154. *pro* vs. 693. *l.* 694. *p.* 176. *ad v.* 802. *l.* Eumenides.

HESIODI

SCVTVM HERCVLIS.

CORRIGENDA.

In CONTEXTV *v.* 324. *lege* *ἀναιδείῃ*. *v.* 350. *l.* *αὐτῷ τῷ*. *v.* 355. *l.* *οὔτις*. *v.* 377. *l.* *ὢς*. *v.* 481. *l.* *κεκονιμένος*. *v.* 530. *l.* *μυλλιόωντες*. *v.* 556. *l.* *θείῃ*. *v.* 564. *l.* *ἑξήκοντα*. *v.* 570. *l.* *περιταμνέμεν*. *v.* 590. *l.* *ἀμολγαίῃ*. *v.* 598. *l.* *δινέμεν*. *v.* 754. *l.* *πινόντων*.

In VARIIS LECTIONIBVS *pag.* 3. *ad v.* 20. *lege* Flor. B. E. I. K. L. N. Neap. 1. 3. 4. Par. G. H. P. S. V. X. *ad v.* 22. *l.* *ἀρόμεναι* Flor. B. D. E. *ad v.* 23. *l.* *τε* abest a Flor. N. *p.* 16. *ad v.* 148 *in f. lege:* *ἄκλαστοι* legendum coniecit Wakefield. *p.* 23. *ad v.* 304. *l.* *ζώει* Flor. B. *p.* 46. *ad v.* 418. *l.* *βαιὸς* Neap. 2. *p.* 50. *ad v.* 449. *l.* *κεκλιγυίης* vitium est Graevianae. *p.* 62. *ad v.* 532. *l.* *οἶ σκ. μ. π. κ. ἑλῶσι* Brunckius legendum coniecit. *p.* 90. *ad v.* 775. *l.* *ἠμὲν — ἠδ'*.

In COMMENTARIO *p.* 6. *ad v.* 5. *lege* infra v. 244. *p.* 33 *init.* *l.* *συλλογήν*. *p.* 34. *ad v.* 123. *et p.* 125. *l.* *πάντῃ*. *p.* 46. *ad vv.* 191 *seq.* *l.* Parvula pumilio. *p.* 47. *ad v.* 194. *l.* *ὀμεῖται δ' ἐπίορκον*. *p.* 54. *ad v.* 229. *l.* *πόλεμον τεκμαίρεται*. *p.* 60. *ad vv.* 274—285. *l.* *οἰωνοῖς*. *p.* 62 *fin.* *l.* Tzetzes in Epist. ined. *p.* 63. *pro* vs. 295. *lege* vv. 295 seq. *p.* 75. *ad v.* 353. *l.* *καὶ τῷ προσιόντι πρ.* *p.* 86. *ad v.* 400. *l.* *ζητεύῃς*. *p.* 90. *ad v.* 411. *l.* *καλιὴν*. *p.* 102. *ad v.* 466. *l.* *ἀκτὴν*. *p.* 104. *versu* 5 *a fine*, *l.* *κάνθων' ὑπὸ ζεύγλ. μεσ.* *p.* 108. *ad v.* 481. *l.* *κεκονιμένος*. *p.* 109. *ad v.* 492. *l.* *γινόμενον*. *p.* 121. *ad v.* 536. *l.* *ἔρυμα χροὸς*. *p.* 141 *init.* *l.* *αἱρεῖ*. *p.* 142. *ad v.* 621. *l.* *θύουσιν ἀῆται*. *p.* 148. *pro* vs. 651. *lege* 652. *p.* 149. *ad v.* 657. *l.* *τριπόδων οὔατα*. *p.* 154. *pro* vs. 693. *l.* 694. *p.* 176. *ad v.* 802. *l.* Eumenides.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

In CONTEXTV *v.* 324. *lege* ἀναιδείῃ. *v.* 350. *l.* αὐτῷ τῷ. *v.* 355. *l.* οὔτις. *v.* 377. *l.* ὣς. *v.* 481. *l.* κεκονιμένος. *v.* 530. *l.* μυλλιόωντες. *v.* 556. *l.* θείῃ. *v.* 564. *l.* ἐξήκοντα. *v.* 570. *l.* περιταμνέμεν. *v.* 590. *l.* ἀμολγαίῃ. *v.* 598. *l.* δινέμεν. *v.* 754. *l.* πινόντων.

In VARIIS LECTIONIBVS *pag.* 3. *ad v.* 20. *lege* Flor. B. E. I. K. L. N. Neap. 1. 3. 4. Par. G. H. P. S. V. X. *ad v.* 22. *l.* ἀρόμεναι Flor. B. D. E. *ad v.* 23. *l.* τε abest a Flor. N. *p.* 16. *ad v.* 148 *in f. lege:* ἄκλαστοι legendum coniecit Wakefield. *p.* 23. *ad v.* 304. *l.* ζώει Flor. B. *p.* 46. *ad v.* 418. *l.* βαιὸς Neap. 2. *p.* 50. *ad v.* 449. *l.* κεκλιγυίης vitium est Graevianae. *p.* 62. *ad v.* 532. *l.* οἳ σκ. μ. π. κ. ἐλῶσι Brunckius legendum coniecit. *p.* 90. *ad v.* 775. *l.* ἡμὲν — ἠδ'.

In COMMENTARIO *p.* 6. *ad v.* 5. *lege* infra v. 244. *p.* 33 *init. l.* συλλογήν. *p.* 34. *ad v.* 123. *et p.* 125. *l.* πάντῃ. *p.* 46. *ad vv.* 191 *seq. l.* Parvula pumilio. *p.* 47. *ad v.* 194. *l.* ὀμεῖται δ' ἐπίορκον. *p.* 54. *ad v.* 229. *l.* πόλεμον τεκμαίρεται. *p.* 60. *ad vv.* 274—285. *l.* οἰωνοῖς. *p.* 62 *fin. l.* Tzetzes in Epist. ined. *p.* 63. *pro* vs. 295. *lege* vv. 295 seq. *p.* 75. *ad v.* 353. *l.* καὶ τῷ προσιόντι πρ. *p.* 86. *ad v.* 400. *l.* ζητεύῃς. *p.* 90. *ad v.* 411. *l.* καλιὴν. *p.* 102. *ad v.* 466. *l.* ἀκτὴν. *p.* 104. *versu* 5 *a fine, l.* κάνθων' ὑπὸ ζεύγλ. μεσ. *p.* 108. *ad v.* 481. *l.* κεκονιμένος. *p.* 109. *ad v.* 492. *l.* γινόμενον. *p.* 121. *ad v.* 536. *l.* ἔρυμα χροὸς. *p.* 141 *init. l.* αἱρεῖ. *p.* 142. *ad v.* 621. *l.* θύουσιν ἀῆται. *p.* 148. *pro* vs. 651. *lege* 652. *p.* 149. *ad v.* 657. *l.* τριπόδων οὔατα. *p.* 154. *pro* vs. 693. *l.* 694. *p.* 176. *ad v.* 802. *l.* Eumenides.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

In CONTEXTV *v.* 324. *lege ἀναιδείῃ.* *v.* 350. *l. αὐτῷ τῷ.* *v.* 355. *l. οὔτις.* *v.* 377. *l. ὣς.* *v.* 481. *l. κεκονιμένος.* *v.* 530. *l. μυλλιόωντες.* *v.* 556. *l. θείῃ.* *v.* 564. *l. ἑξήκοντα.* *v.* 570. *l. περιταμνέμεν.* *v.* 590. *l. ἀμολγαίῃ.* *v.* 598. *l. δινέμεν.* *v.* 754. *l. πινόντων.*

In VARIIS LECTIONIBVS *pag.* 3. *ad v.* 20. *lege* Flor. B. E. I. K. L. N. Neap. 1. 3. 4. Par. G. H. P. S. V. X. *ad v.* 22. *l. ἀρόμεναι* Flor. B. D. E. *ad v.* 23. *l. τε* abest a Flor. N. *p.* 16. *ad v.* 148 *in f. lege : ἄκλαστοι* legendum coniecit Wakefield. *p.* 23. *ad v.* 304. *l. ζώει* Flor. B. *p.* 46. *ad v.* 418. *l. βαιὸς* Neap. 2. *p.* 50. *ad v.* 449. *l. κεκλιγυίης* vitium est Graevianae. *p.* 62. *ad v.* 532. *l. οἳ σκ. μ. π. κ. ἐλῶσι* Brunckius legendum coniecit. *p.* 90. *ad v.* 775. *l. ἠμὲν — ἠδ᾽.*

In COMMENTARIO *p.* 6. *ad v.* 5. *lege* infra v. 244. *p.* 33 *init. l. συλλογήν.* *p.* 34. *ad v.* 123. *et p.* 125. *l. πάντῃ.* *p.* 46. *ad vv.* 191 *seq. l.* Parvula pumilio. *p.* 47. *ad v.* 194. *l. ὀμεῖται δ᾽ ἐπίορκον.* *p.* 54. *ad v.* 229. *l. πόλεμον τεκμαίρεται.* *p.* 60. *ad vv.* 274—285. *l. οἰωνοῖς.* *p.* 62 *fin. l.* Tzetzes in Epist. ined. *p.* 63. *pro* vs. 295. *lege* vv. 295 seq. *p.* 75. *ad v.* 353. *l. καὶ τῷ προσιόντι πρ.* *p.* 86. *ad v.* 400. *l. ζητεύῃς.* *p.* 90. *ad v.* 411. *l. καλιὴν.* *p.* 102. *ad v.* 466. *l. ἀκτὴν.* *p.* 104. *versu* 5 *a fine, l. κάνθων᾽ ὑπὸ ζεύγλ. μεσ.* *p.* 108. *ad v.* 481. *l. κεκονιμένος.* *p.* 109. *ad v.* 492. *l. γινόμενον.* *p.* 121. *ad v.* 536. *l. ἔρυμα χροὸς.* *p.* 141 *init. l. αἱρεῖ.* *p.* 142. *ad v.* 621. *l. θύουσιν ἀῆται.* *p.* 148. *pro* vs. 651. *lege* 652. *p.* 149. *ad v.* 657. *l. τριπόδων οὔατα.* *p.* 154. *pro* vs. 693. *l.* 694. *p.* 176. *ad v.* 802. *l.* Eumenides.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

In CONTEXTV *v.* 324. *lege* ἀναιδείη. *v.* 350. *l.* αὐτῷ τῷ. *v.* 355. *l.* οὔτις. *v.* 377. *l.* ὧς. *v.* 481. *l.* κεκονιμένος. *v.* 530. *l.* μυλλιόωντες. *v.* 556. *l.* θείῃ. *v.* 564. *l.* ἑξήκοντα. *v.* 570. *l.* περιταμνέμεν. *v.* 590. *l.* ἀμολγαίη. *v.* 598. *l.* δινέμεν. *v.* 754. *l.* πινόντων.

In VARIIS LECTIONIBVS *pag.* 3. *ad v.* 20. *lege* Flor. B. E. I. K. L. N. Neap. 1. 3. 4. Par. G. H. P. S. V. X. *ad v.* 22. *l.* ἀρόμεναι Flor. B. D. E. *ad v.* 23. *l.* τε abest a Flor. N. *p.* 16. *ad v.* 148 *in f. lege:* ἄκλαστοι legendum coniecit Wakefield. *p.* 23. *ad v.* 304. *l.* ζώει Flor. B. *p.* 46. *ad v.* 418. *l.* βαιὸς Neap. 2. *p.* 50. *ad v.* 449. *l.* κεκλιγυίης vitium est Graevianae. *p.* 62. *ad v.* 532. *l.* οἳ σκ. μ. π. κ. ἐλῶσι Brunckius legendum coniecit. *p.* 90. *ad v.* 775. *l.* ἡμὲν — ἠδ᾽.

In COMMENTARIO *p.* 6. *ad v.* 5. *lege* infra v. 244. *p.* 33 *init. l.* συλλογήν. *p.* 34. *ad v.* 123. *et p.* 125. *l.* πάντῃ. *p.* 46. *ad vv.* 191 *seq. l.* Parvula pumilio. *p.* 47. *ad v.* 194. *l.* ὀμεῖται δ᾽ ἐπίορκον. *p.* 54. *ad v.* 229. *l.* πόλεμον τεκμαίρεται. *p.* 60. *ad vv.* 274—285. *l.* οἰωνοῖς. *p.* 62 *fin. l.* Tzetzes in Epist. ined. *p.* 63. *pro* vs. 295. *lege* vv. 295 seq. *p.* 75. *ad v.* 353. *l.* καὶ τῷ προσιόντι πρ. *p.* 86. *ad v.* 400. *l.* ζητεύῃς. *p.* 90. *ad v.* 411. *l.* καλιήν. *p.* 102. *ad v.* 466. *l.* ἀκτήν. *p.* 104. *versu* 5 *a fine, l.* κάνθων᾽ ὑπὸ ζεύγλ. μεσ. *p.* 108. *ad v.* 481. *l.* κεκονιμένος. *p.* 109. *ad v.* 492. *l.* γινόμενον. *p.* 121. *ad v.* 536. *l.* ἔρυμα χροός. *p.* 141 *init. l.* αἱρεῖ. *p.* 142. *ad v.* 621. *l.* θύουσιν ἀῆται. *p.* 148. *pro* vs. 651. *lege* 652. *p.* 149. *ad v.* 657. *l.* τριπόδων οὔατα. *p.* 154. *pro* vs. 693. *l.* 694. *p.* 176. *ad v.* 802. *l.* Eumenides.